
Google

# QUAESTIONES
# CRITICAE ET PALAEOGRAPHICAE
## DE VETUSTISSIMIS CODICIBUS
# LIVIANIS.



---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXV

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

GUILELMUS HERAEUS

GUESTFALUS.

---

ADVERSARII ERUNT

P. JAHN, DR. PHIL.
M. SCHAPER, CAND. PHIL.
W. SCHULZ, DRD. PHIL.



---

BEROLINI

SUMPTIBUS G. GROTE

MDCCCLXXXV.



(40)

# QUAESTIONES CRITICAE ET PALAEOGRAPHICAE DE VETUSTISSIMIS CODICIBUS LIVIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXV

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

GUILELMUS HERAEUS

GUESTFALUS.

ADVERSARII ERUNT

P. JAHN, DR. PHIL.

M. SCHAPER, CAND. PHIL.

W. SCHULZ, DRD. PHIL.



BEROLINI

SUMPTIBUS G. GROTE

MDCCCLXXXV.

SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS





LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.



# IOANNI VAHLENO

DICATUM

Immensa artis criticae materia caret ad hoc tempus ea tractatione, quae praesenti statu et condicione litterarum philologicarum digna est: quis enim in Scioppii, Scaligeri, Clerici aliorumque de eo argumento operibus obsoletis acquiescet hodie? Audita tantum sunt eiusmodi consilia Ritschelii et Tischendorfii nostra aetate, quorum ille cum floreret integro aetatis vigore scribendique studio inter alias magnificas cogitationes corpus artis criticae praeceptis perpetuis ordinandum exemplisque illustrandum animo secum volutasse dicitur. Et cum Ritschl pro studiorum suorum cursu magis latinarum litterarum codicumque rationem habiturus esset, non minus grata accessit altera spes, quam Constantinus de Tischendorf, gravissimus codicum graecorum existimator, de rei criticae corpore edendo ostendit, quod ut ex altera magis lingua illustratum Ritscheliano quasi supplementum futurum erat. Sed utraque spes frustra cecidit: seposuerunt postea aut omiserunt consilium institutum distenti seu maioribus cogitationibus seu officii muneribus viri illustrissimi, qui propter singularem librorum manu scriptorum scientiam prae ceteris nati videbantur ad tam periculosae plenum opus aleae. Habemus tamen perfectissimam artis criticae, quae coniecturalis appellatur, adumbrationem, dico eam, quam Madvig, senior ille litterarum latinarum magister, primo volumini adversariorum criticorum (Hauniae a. 1871) praemisit,

in paginarum haud plus ducentarum spatium coartatam, eleganti, ut solet, oratione latina confectam, speciosissimis exemplis collustratam. Neque defuerunt nostra aetate, qui, ars critica coniecturalis quomodo in singulis scriptoribus ad certam normam dirigenda esset, demonstrarent examinandis atque investigandis mendorum generibus, quae in codd. antiquis occurrunt. Apparet statim eiusmodi operosae sane atque interdum minutae curae laboribus fructus aliquos ad textus, quos vocant, scriptorum maiore cum fide restituendos percipi posse, ut, si non novae inde emendationes redundant, saltem controversae adhuc lectionis loci ipsa mendorum observata frequentia diiudicentur deficientibus aliis iudicandi notis. Iam cum nobis quoque persuasum sit omnem salutem artis coniecturalis, quae nostris temporibus fatalem quandam temeritatis lususque famam apud plerosque habet, versari in accurata mendorum observatione atque censura, symbolam his pagellis pro nostra quantulacumque facultate daturi sumus ad mendorum quorundam in codd. latinis obviorum cognitionem, perscrutati ad hoc duo vetustissimos et ad monstranda librariorum vitia prae ceteris aptos codices Livii, Puteaneum et Vindobonensem[1]), quorum uterque ei decadi operis Liviani, quam scriptam continet uncialibus litteris, potissimum est instrumentum criticum. Ille enim (quem in hac disputatione P vel Put. designabo) tertiam decadem paene totam tam fideliter atque religiose cum omnibus exempli sui vitiis scriptam habet, ut non facile codex latinus utilior ad illustranda vitia, in quae librarii vetusti delabi

1) Puteaneum codicem Chatelain sexto saeculo, Zangemeister-Wattenbach (exempla codd. lat. p. 5) vel quinto tribuunt, Vindobonensem vulgo sexto ascribunt.

solebant, inveniatur. Hunc autem codicem virtutibus praeclaris, inter quas non infimum locum obtinet interpolationum simplex rudisque forma, aequiperat fere codex unicus quintae decadis Vindobonensis (quem V vel Vind. designabo), in quo tamen vel maxime dolendum nobis est atque ab initio monendum permultos locos propter collatorum discrepantiam in ordinem disputationis recipi non potuisse. Ab his maxime codicibus proficiscentes nonnulla capita mendorum propondituri sumus, electis exemplis quam minime dubiis, h. e. talibus locis, qui lectionem optimo cuique critico probatam receptamque habent, immixtis etiam virorum doctorum emendationibus, quae immerito ab editoribus spretae vitiorum consideratione novam fidem novumque splendorem nancisci nobis videntur, adhibitis passim aliorum scriptorum libris manu scriptis bonae notae, quibus mendorem proprietates cognoscere licet, velut codicibus Mediceis (Med.) Vergilii, Taciti, Ciceronis epistularum, Palatino (Pal.) et Romano (Rom.) Vergilii, Oblongo (Obl.) Lucretii, Bambergensi (Bamb.) et Nazariano (Naz.) Flori, Nazariano (Naz.) Senecae, Bambergensi (Bamb.) et Parisino (Par.) Livii, Vaticano (Vat.) Ciceronis Philippicarum cet. Denique moneo, ubicumque nulla codicis nota lectionibus apposita appareat, codices Livianos Puteaneum (in tertia decade) aut Vindobonensem (in quinta dec.) significari.

---

## I. De scriptura, quam vocant, continua uberrimo errorum fonte.

Latissime patet illud mendi genus, quod originem habet in continua verborum scriptione, quae usque ad nonum fere nostri aevi saeculum in libris manu scriptis latinis valuit, quaeque est in codicibus Livianis Puteaneo, Vindobonensi, Veronensi. Iam inde ab eo tempore, cum verba distincte exarare in morem vertisset, librarii facile ita erraverunt, ut syllabas prave divellerent conflarentve. Talia menda saepius diu fugerunt criticos, donec corrector egregius extitit, cuius rei ut unum insigne exemplum ponam, speciose Madvig (adv. crit. I, 28) in Senecae ep. 89, 4 plane obscuram maleque a criticis superioribus vexatam codicum lectionem *quidam et* dissolutam in *quid amet* cum tota oratione coniunxit. Ut ex nostro quoque penu haustum aliquid afferamus — quamquam pusillum est —, non dubitamus, quin Placidi glossa misere deformata, de qua restituenda novissimus editor Deuerling p. 76, 24 desperavit: *prolictabimi dicitur et multa significat; nam prolici est persuaderi* litteris lemmatis distractis[1]) paululumque mutatis reliquis (et codex Vercellensis 'libri Glossarum' praestantissimus *pro-*

1) Quo remedio haud raro cum fruge utimur in sanandis medii aevi glossis. Sic Hildebrand Gloss. Lat. p. 181 n. 334 frustra se torsit in emendanda glossa *insomnis, inquiete*, cum aut *inquietus* aut *inquies* legendum proponeret: verbis rectius distinctis glossa perspicua evadit haec: *in somnis, in quiete*.

*lictabini* habet) corrigenda sit in hunc modum: *prolecta bene dicitur et invitata significat; nam* cet. Affirmatione, qualis est *bene dicitur*, Placidus non semel utitur; cf. p. 1, 14 *adhaesio bene dicitur ab eo, quod* cet.; 17, 1 *conspirare bene dicimus;* 64, 7 *multifariam ... dicimus bene;* 69, 16 *nudus ... bene dicimus;* 6, 21 *amplexus ... recte dicimus.* Quod autem *multa* mutavimus in *invita(ta)* vix opus est monere, quam exiguo discrimine in codicibus minusculae scripturae exarentur *multa* et *invita.*

Prava verborum distinctione sicut librarii medii aevi erraverunt, ita interdum qui veterum opera ex codicibus continenti scriptura exaratis primi ediderunt, velut Grynaeus in ed. Basileensi loco Livii 45, 13, 3 edens *gratulati deinde victoriam sunt,* cum non videret litteris, quas codex Vindobonensis praebet *deindevictoria,* recte separatis verum evadere — id quod Kreyssig primus vidit — *gratulati dein de victoria sunt: gratulari de aliqua re* Livius dixit hoc ipso capite § 12. 36, 35, 12. 45, 3, 6 cet., *dein de ...* 41, 9, 9 *legem dein de*[1]) *sociis tulit,* unde simul apparet prorsus praeter necessitatem eundem virum doctum *g. deinde de victoria s.* proposuisse. Saepius ita Angelo Mai deceptus est in Frontonis codice palimpsesto Bobiensi perscribendo, ut p. 3 (ed. Naber) *vale Caesar et ride et omnem vitam laetare et parentibus optimis et eximio ingenio tuo fruere,* ib. p. 80 *quomodo manseris domi nescire cupio,* p. 84 *ferme, obsecro, nimia et ardua a te postulantem:* primo loco distinguendum esse *laeta re* Naber, altero *domine scire* Haupt, tertio *fer me* Schopen vidit. Contra ib. p. 233 ambiguum est quod in codice legitur *necquicquam nos animarum immortalitas consolatur:* vulgatur inde a Maii temporibus distractis litteris

1) Tac. ann. 12, 61 *rettulit dein de immunitate Cois tribuenda.*

*nec quicquam nos a.* cet., quamquam potest una vox intellegi *necquicquam* (i. e. *nequicquam*), quae prava forma passim in codd. vetustis occurrit, velut in Puteaneo Liv. 21, 53, 7. 22, 20, 8 cet., in Veronensi rescripto ib. 4, 12, 3. 25, 9, unde factum est, ut in recc. codd. frequentissime *nec quicquam* pro *nequicquam* legatur. Propter similem ambiguitatem loco Livii 22, 16, 4, cum in Put. sit *perhorridassituas*, fluctuant critici inter Weissenbornii scripturam *perhorridas silvas* et Woelfflinii *per horridas silvas* (*Poenus inter Formiana saxa ... stagnaque et per horridas silvas hibernaturus esset*), et adhuc sub iudice lis est[1]): contra Enn. ann. 192 (ed. Vahlen) hodie consensu criticorum legitur

*incedunt arbusta per alta, securibu' caedunt*

contra vulgatam scripturam

*incedunt, arbusta peralta securibu' caedunt.*

## 1. Incrementa orationis ex verborum prava distinctione nata.

Quae adhuc proposuimus exempla, talia sunt, quibus proprie mutationes nullae contineantur, ne in separata quidem scriptura, quoniam librariorum distinctionis nulla ratione habita licet nobis, quam optime ad sententiam possumus, verba distinguere. Sed etiam gravia et cognitu difficilia menda scriptura continua peperit iam in ipsis codicibus continenter scriptis: de his maxime mendis nobis hoc capite agere in animo est. Quorum unum id est, quod saepius observavi accidisse, scilicet ut librarii syllabis mente male dispestis continuatisve emendandi conatum adiungerent unam alteramve litteram addendo,

---

1) Contra Woelfflinium nuper disputaverunt Frigell et Luterbacher; cf. H. I. Mueller, Z. f. d. Gymn. 1884 Jahresber. p. 85.

vel speciem alius vocis plenioris ex aliquot litteris perverse separatis obiectam sequerentur; quo factum est, ut modo ex duabus vocibus una, modo ex una duae, modo ex duabus duae aliae evaderent additis aliquot litteris. Insita eiusmodi hominibus vi cogitationis ad notiora et usitatiora trahentis librarii in tales errores praecipue proclives erant, quando vocabula minus trita describenda erant; cf. in eis quae subsequuntur exemplis *sarmenta, pernox*, *spartum*, *sibilus*, item nomina propria *Indebilis, Aper*, *Ingauni*, *Dolopes*, *Aborigines*. Et interdum non multum absunt hi errores a consulta interpolatione, ita tamen ut non unoquoque loco coargui possit. Ut a simplicioribus initium faciam, Liv. 22, 16, 7 Puteaneus codex exhibet: *fascesque* | [1]) *virgarum* | *atque* | *aridis* | *armentis* | *praeligantur:* ni fallor, librarius pro vero *aridi sarmenti*, cum *sarmenti* vocabulum ignoraret, *armenti* vel ex sacrorum librorum usu nosset, male divulsis litteris (*aridis armenti*) casuque ad adiectivi casum accommodato *aridis* | *armentis* scripsit. Ut *armenta* cogitaret, librarius de sententia securus eo proclivius adductus est, quod in seqq. *armentorum* mentio fit, scilicet in praeclarae Hannibalis apud Casilinum fraudis narratione. Plane simili errore ib. 20, 6 in Put. scripta extant haec *ubivis magnas* | *partis* | *ad* | *rem* | *nauticam* | *congestam* | *ab* | *Hasdrubale* pro *ubi vis magna sparti ad r. n.* cet.: librarius cum vocis *spartum* cognitionem non haberet, litteris falso distinctis (*magnas parti*) effinxit *magnas* | *partis*, ut latinam saltem formam vocabulis indueret. Mihi librarius stupidus etiam *ubivis* unam vocem intellexisse videtur et hac

---

1) Quam verborum coniunctionem in continua scriptura librarius videatur voluisse, hic et in seqq. indico lineis derectis interpositis.

maxime de causa — quamquam mera socordia intercidere potuit — omisisse verbum *erat*, quod abesse nequit et a Weissenbornio probabiliter sane inter *congesta* et *ab Hasdrubale* insertum est (cf. 24, 36, 10 *Murgantiam* ... *recipit, ubi frumenti magna vis commeatusque omnis generis convecti erant Romanis*): nam in *congestam* non, ut opinatur Alschefski, *congesta erat* inest, sed nihil nisi *congesta* ad antecedentis vocis exitum *nauticam* accommodata terminatione, quo vitio nullum est vulgarius in Puteaneo, cf. 21, 42, 1 *circumdato ad spectaculum exercitum* = *c. ad sp. exercitu*, ib. 50, 3 *inopem militem* = *inopem milite*, ib. 62, 3 *tumultum habitatorum territum* = *tumultu h. t.*

Simile duobus, quae posui, exemplis est, quod Liv. 44, 6, 14 in Vindobonensi legitur: *nisi* | *dimoventem* | *regiam* | *demissent* pro *nisi di mentem regi ademissent:* vitium apparet ex prava seiunctione *mentem regia demissent* ortum esse. Plurimis autem locis praepositiones ad nomina pertinentes, ubi nullae erant, perversa verborum distinctione intellectae librarios ad unam alteramve litteram addendam vel mutandam induxerunt. Sic Liv. 28, 46, 9 in P est: *in* | *gaunis* pro *Ingauni;* 42, 37, 4 in V *cum* | *circum* | *eundem* | *vigiliae* | *essent* pro *cum circumeundae v. essent* (cf. quod 30, 24, 4 prima manu codex L apud Luchsium habet: *circum eundem* pro *circumeundis*); ib. 40, 1 *quid* | *sit* | *a* | *legatis* = *quid ita legati.* — 27, 23, 2 in P: *cum* | *iis* = *Cumis*; ib. 51, 9 *de* | *iis* = *deis* (idem mendum 24, 10, 13); 5, 51, 9 in Veronensi *quo* | *ad* | *ardeam* | *vixi* = *quoad Ardeae v.;* 32, 11, 9 in Bambergensi *per noctem* = *pernox;* 37, 54, 20 *ad istas Graeciae urbes* = *adistis Gr. u.;* Tac. ann. 11, 14 in Mediceo *ab originibus* = *Aborigines:* prorsus simili vitio in Hildebrandi Gloss. Lat. p. 131 n. 211 legitur: *exanguine, pal-*

*lidus, semivivus* pro *exanguis, p.* cet.[1]) Ioci causa hic commemorare liceat, quod Capito Lycius, qui fuit Iustiniani temporibus, interpres graecus Eutropii verba X, 16 *sororis filium commodae indolis iuvenem interfecit* graece reddidit τῆς ἀδελφῆς τὸν υἱὸν Κομμόδης διαφθείρει δόλῳ, cum continenti scriptura decipiente verba *commodae indolis* pro *Commodae in dolis* intellegeret. Similiter olim in Dig. fr. 3 ad l. I. maj. 48, 4 distinxerant iuris consulti *qualis est ille, qui in bellis cesserit* pro eo, quod verum est *qualis est ille, qui inbellis cesserit.*

Haec interpolationis species ex perpetua scriptura orta quamquam in eis, quae adhuc posuimus, exemplis simplex et rudis eoque facilis ad deprehendendum erat, tamen alibi magis in occulto latet, ita ut varie viros doctos fefellerit. Cuius rei illustrandae gratia tractaturi sumus in principio locum a criticis recentioribus multimodis tentatum vexatumque Livii 25, 8, 11, ubi agitur de Philemeno auctore Tarenti Poenis tradendi: *ubi iam eo consuetudinis adducta res est, ut quocumque noctis tempore sibi loco dedisset signum, porta aperiretur, tempus agendae rei Hannibali visum est.* Hic lectio codicum consensu tradita *sibi loco* multis viris doctis scrupulum iniecit, ut plus delitescere arbitrarentur quam merum *sibilo,* quod vulgatur: tamen nihil aliud requiritur neque inesse plus persuasum habemus. Origo autem scripturae *sibi loco* haec videtur: librarius vocem minus tritam *sibilus* cum ignoraret, diductis syllabis *sibi|lo* ex trunca, quam putabat, voce *lo* supplendo effecit *loco,* fortasse antecedenti vocabulo *tempore* adductus, ut *loco* quasi respondere ei crederet. Paulo aliter errorem explicat M.

---

1) Cf. etiam quod Liv. 45, 15, 1 in Vindob. legitur *ex | senatu* pro *ex se natus.*

Gitlbauer, cum in ann. gymn. Austr. vol. XXIX (a. 1878) p. 352 librarium *lo* compendium tironianarum notarum usu notum *loco* intellexisse velit[1]): at maxime claudicat tota huius viri docti de compendiis notisque antiquissimorum codicum doctrina novicia, id quod persequi hic locus non est. Libenter autem carebimus coniecturis his, quae prolatae sunt: H. A. Kochii (progr. Brandenburg. a. 1860 p. 10) *sibilo custodi*, Hertzii *sibilo quo*, Harantii (adnot. et emend. ad T. Livium p. 111) *sibilo cum*, Novákii (listy filologické vol. XI a. 1884 p. 9) *sibilo composito*. Nec vero adeo mirer, si propediem existat, qui *sibi⟨lo certo⟩ loco* scribendum proponeret.

Similiter altero loco Liviano 27, 32, 4 in Puteaneo codice aberratum est: habet enim *contracto* ... *certamine* | *cum* | *urbe* | *geri* | *videret* | *suos* pro *c.* ... *c. cum urgeri v. s.* Cum scriba *cum* praepositionem ab antecedenti substantivo *certamine* pendentem prave intellexisset (v. infra p. 57) et *geri* per se accepisset ut a *gerendo* ductum, ex mutila, quae videbatur, voce *ur* supplendo effecit *urbe*. Adeo vera et nativa verborum distinctio librarios stupidos interdum fugit et ad adiciendas syllabas litterasve, quae deesse videbantur aut menti oculisve intempestive obversabantur, impulerunt. Quae interpolatio quam late pateat vel in antiquissimis codd., velim cogno-

1) Eo nomine prave excitari puto a Gitlbauero locum Terentii Eun. 5, 8, 22: ibi in Bembini vetusti lectione *itura* pro *ita* duas habes lectiones iunctas *itur* et *ita* (*it*$\overset{a}{u}$*r*), quarum prior corrupta est antecedentis verbi *ametur* exitu; cf. eiusdem codicis scripturas has: Ad. 1, 1, 25 *facioad* — *facio* (*faciad* vitium traxit ex eo, quod praecedit *habeat*); 2, 1, 40 *causam* | *et* | *manu* — *causa manu* (in arch. erat *causam*$\overset{man}{etu}$, *metu* ex antec. versus voce *metui* depravato).

scas ex his, quae insequuntur, exemplis e Puteaneo et Vindobonensi codd. petitis:

Liv. 22, 25, 4 *quod* | *iustius* = *quo diutius;*

ib. 31, 10 *eodem* | *cursum* = *eo decursum*, quocum conferas 45, 13, 16 V *eosdem* | *se* = *eos de se*, ib. § 11 *quidem* | *finibus* = *qui de finibus;* Vell. 2, 87, 4 *ab eodem victum* = *ab eo devictum* (corr. Acidalius).

ib. 46, 8 *sol* | *se* | *unde* | *industria* = *sol seu de ind.*

ib. 51, 3 *hannibal* | *inimicis* = *Hannibali nimis*, unde factum est, ut recentior codex Pal. 2 progrediente interpolatione praebeat: *annibal inimicus.*

ib. 60, 11 *sicut* bis pro *si ut* scriptum esse in Put. Madvig em. Liv. p. 175[2] (ad 7, 13, 8) probavit: eadem duplex correctio adhibita est a criticis ad locum Ciceronis Phil. 11, 2, 5, quem locum adiungas exemplis a Madvigio l. c. ad eum errorem collectis una cum Cic. de opt. gen. or. 7, 23, ubi codex Sangallensis pro *si ut spero* habet *sicut spero*, quam falsam lectionem videtur iam Hieronymus in suo exemplo invenisse (ed. Bened. vol. IV, 2 p. 250).

23, 4, 3 *ea* | *militem* pro *eam litem*, unde in recc. codd. venit *eam in litem* gliscente vitio.

ib. 24, 2 *statueres* = *statu res.*

ib. 31, 15 *excipiat* | *a* | *consules* = *expiata cons.*

24, 6, 6 *rogatione* = *rogato ne.*

25, 4, 1 *arbitratis* = *ab iratis.*

ib. 6, 1 *equitibus* = *e quibus.*

ib. 39, 9 *interest* = *iter est.*

26, 9, 3 *integram* | *nam* = *Interamnam.*

ib. 44, 5 *quem* | *uiri* = *que muri*, cf. 45, 12, 5 V: *considerat* | *uirum* = *consideraturum.*

27, 24, 8 *magistratus* = *magis ratus.*

30, 10, 8 *quis* | *imitatura* | *essent* = *qui si maturassent.*

Ex Vindobonensi codice haec notavi:

41, 24, 8 *dolo* | *pessimo* — *Dolopes imo*: librarius *dolum pessimum* cogitabat nomen proprium non agnoscens, quod similiter obscuratum est 42, 40, 7 *dolo* | *persa* | *te* — *Dolopes a te*.

ib. 27, 12 *etiam* | *nostris* — *et Ianos tris*.

42, 25, 12 *egregia* — *e regia*.

ib. 26, 2 *fine* | *suo* | *secundo* | *populatum* — *fines suos eum, depopulatum*: vitium propagatum est ex scriptura *suoseundepcpulatum* (v. infra p. 25 sq.) sive *suosecumdepopulatum* (cf. quod Liv. 2, 23, 8 Mediceus cod. praebet *secundique* pro *se undique*).

ib. 41, 6 *sumere* | *accusaturus* — *sum recusaturus*.

ib. 42, 6 *eumene* | *necesse* — *Eumenen esse*.

43, 6, 12 *segregatorum* — *se gratorum*.

ib. 19, 3 *labe* | *ante* | *subigentibus* — *Labeates ubi Gentius*.

44, 45, 9 *semper* | *secuti* — *se persecuti*, quae correctio Madvigio debetur: eodem mendo *semper* pro *se per* in codd. legitur Cic. p. Font. 6, 14 et Vell. 2, 41, 3.

45, 4, 5 *praecesserat* — *preces* (*praeces*) *erat*: *praecedendi* verbum inesse putabat librarius, quo vitio etiam Tac. hist. 4, 46 in Mediceo cod. scriptum est *praecesserant* pro *preces erant*.

ib. 34, 11 *excivitatiamque* — *excivit iamque*. Minime significari puto illa lectione *exciverat iamque*, quod Madvigio visum est probatumque Harantio (l. c. p. 300) et H. I. Muellero: vocis *civitas* speciem ex litteris *civiti* obiectam secutus librarius explevit; cf. similes huic errores in eodem codice admissos 42, 21, 8 *plebis* | *civitati* | *iussitque* — *plebes scivit iussitque* et 45, 28, 3 *nobilitatemplo* — *nobili templo*.

ib. 42, 2 *egistis* — *egit is*.

Sed subsistendum videtur in his exemplis, quae ex codicibus continenti scriptura exaratis[1]) excerpsimus. Consentaneum iam est post nonum p. Chr. n. saeculum, ex quo verba separata ac distincta describi ex antiquis codd. coepta sunt, hanc, de qua agimus, interpolationem latiorem campum habuisse, cum verborum prava distinctio librarios falleret atque turbaret. Ut dilucido eius rei exemplo utar, Liv. 22, 21, 3 codex Puteaneus veram lectionem exhibet: *mandonius indebilisque* (= *Mandonius Indebilisque*), codices inde descripti: *mandonius inde nobilisque.* Adiungam pauca exempla ex Taciti et epistularum Ciceronis codd. Mediceis distincte scriptis selecta, non nescius potuisse talia vel ante transscriptionem oriri.

Cic. Att. 10, 10, 5 in Med. legitur *ego vero vellunt ridiculo* pro *ego vero vel luntriculo* (correxit vitium Manutius).

ib. 15, 18, 1 *cum in lacuna vigilarem* = *cum in lacu navigarem.*

ib. fam. 3, 11, 4 *perite* = *per te.*

ib. 4, 2, 3 *site rogo* = *sit ergo.*

ib. 5, 12, 5 *quintum* = *qui tum.*

ib. 10, 3, 4 *amici sit* = *amisit.*

Tac. ann. 1, 3 Med. praebet *dormires* pro *domi res.*

ib. 2, 8 *enim terentur* = *eniterentur.*

ib. 6, 30 *visitare* = *vi stare.*

hist. 2, 32 *spiratio* = *si ratio.*

ib. c. 65 *exhortationibus* = *ex orationibus.*

---

1) Ex aliis pauca memoratu digna sunt, velut codicis Veron. lectio Liv. 3, 67, 6 *non | vere* = *novere* (cf. Tac. hist. 2, 43 Med. *ñ vi*, i. e. *non vi* = *novi*), cod. Bembini Ter. Heaut. 217 *facillime* = *facili me*, ib. 672 *scilicet* = *si licet*, quod idem mendum occurrit in compluribus codd. Liv. 3, 71, 3 et Prop. 2, 28, 50.

ib. 4, 14 *apparentibus* = *a parentibus*, ut Cic. fam. 4, 6, 1 *apparente* = *a parente*.

ib. 3, 66 *aemulatore dituram* = *aemulo redituram*, quod Rhenani inventum merito praetulerunt Nipperdey et C. Heraeus lectioni codicum interpolatorum Halmio probatae *aemulatore redituram*, in qua offendit maxime vox non Tacitea *aemulator*. Prorsus eandem correctionem adhibuit Madvig (opp. acad. I p. 124) Cic. p. Rosc. § 118 codicum optimorum lectionem *a gladiatore cessisse* speciose emendans *a gladio recessisse*.

Extremo huius particulae loco separatim ponere liceat singularem quandam incrementi speciem, quae rursus originem habet in praepositionibus a librario intempestive intellectis (cf. supra p. 8 sq.). In eo numero est, quod Liv. 45, 38, 10 in Vind. legitur *in* | *familia* pro *infamia* et 43, 2, 11 *ab* | *itinere* | *plures* pro *abiit ne plures*[1]. Ex hac corruptela suspicio mihi oborta est 45, 37, 10 nihil latere nisi *eodem die et iter fecisti et in aciem existi, ne victorem quidem te adquiescere passus est* cet. in codicis lectione *in* | *aciem* | *ex* | *itinere* | *victorem* | *quidem* cet., qua servata vulgo lacuna statuitur post verba *ex itinere*, quam alii ex I. Fr. Gronovii coniectura explent (*ductus es. ne*), alii Harantium secuti (*isti. ne*). Locutio, quae est *in aciem exire*, Livio maxime familiaris est, v. 23, 29, 1. 25, 40, 13. 27, 19, 10. 28, 15, 2. 35, 3, 4. 4, 2. 44, 37, 2. 38, 7 cet. (semel in prima decade Livius dixit *in aciem ire* 7, 32, 10). Conferri autem possunt cum his interpolationibus similia haec: Liv. 37, 14, 3 Bamb. cod. *nocte in tempestate* pro *nocte intempesta* et Tac. ann. 4, 74 Med. cod. *pro patibulo* pro *propatulo*.

---

1) Neque enim *ab i. ne rei plures* latere mihi persuasit Novák.

## 2. *E* pro *ae* in confinio vocum exaratum.

Transeamus ad alteram mendi speciem, quae et ipsa ex continua scriptione redundans latissime patet, a criticis tamen plerumque non agnoscitur. Propter continuam enim scripturam cum librarii verborum singulorum fines ignorarent neglegerentve, saepissime factum est, ut in confinio duarum vocum eas scribendi rationes retinerent, quibus in ipsis vocibus uti solebant. Iam primis nostri aevi temporibus librarii simplicem *e* vocalem et diphthongum *ae* promiscue exarabant (*prede* = *praedae*, *letus* = *laetus*; *sociaetas* = *societas*, *fuerae* = *fuere* cet.), ita ut omnino non dignoscerentur *que* et *quae*, *letum* et *laetum*, *cedere* et *caedere* (Liv. 42, 7, 10), *merentes* et *maerentes*, *sevisse* et *saevisse* (Arnob. 4, 20 extr.), *queri* et *quaeri* (Liv. 42, 42, 2), *aequo* et *equo*, *atque* (*adque*) et *ad quae* (Liv. 3, 49, 6. 42, 3, 3. Varr. l. l. 6, 54. 10, 11; cf. C. I. L. VIII, 7034 *adquae* = *atque*), *cohorte* et *coortae* (Tac. hist. 1, 2), *annonae* et *Hannone* (Liv. 30, 38, 5), *femine* et *feminae* (ib. 18, 13), *fuge* et *fugae* (25, 12, 5), *fere* et *ferae* (42, 23, 8), *patre* et *Patrae* (Cic. fam. 7, 28, 1), *peto* et *Paeto* (ib. 8, 2, 2) cet. Quae confusio largam scribis ansam dedit verba prave distinguendi, velut Liv. 21, 19, 5 in Colbertino cod. est *qui secum* pro *quis aecum*, ib. 63, 7 *conscientias praetorum* pro *conscientia spretorum*; Cic. fam. 2, 4, 1 in Med. *utro me* pro *ut Romae;* Tac. ann. 16, 28 in Med. *maior aevi* pro *maiore vi:* potuit librarius etiam *maiora e vi* seu *maiora evi* archetypi scripturam *maioraevi* explicare. Inde haud raro orationis ambiguitas nascitur: sic cum codicibus fluctuant editores Ter. Andr. 1, 5, 25 inter *curae, quae meum animum divorse trahunt* et *c. q. m. a. divorsae trahunt* (cf. Plaut. Trin. 409 *divorse distrahitur*, sc. res familiaris; Merc. 470 *quo pacto ego diversus*

*trahor;* Liv. 26, 5, 1 *Hannibalem diversum — trahebant curae)*; Liv. 21, 33, 7 inter *ruinae maximae modo* ... *devolvebantur* et *r. maxime modo* cet. (cf. Liv. 10, 44, 4 *magni agminis modo.* — 35, 34, 10 *itineris maxime modo;* 38, 47, 1 *in hunc maxime modum,* Curt. 8, 11 (39), 6 *petra in metae maxime modum erecta;* Liv. 44, 41, 7 *ruinae modo turbantur,* Tac. hist. 4, 71 *ruinae modo praecipitantur*). Qui Fest. p. 174, 6 in scriptura codicis *novae curiae proximae compitum Fabricium aedificatae sunt* adverbium *proxime* intellegit, quod Augustinus reponi voluit, non poterit vituperari, nec denique quod Arnob. 2, 44 (p. 83, 20 ed. Reiff.) in codice unico Parisiensi legitur *ut nihil intersit omnino voluntariae venerint* (sc. animae) *an illius obtemperaverint iussioni,* dispicere licet, adiectivum (*voluntariae*) an adverbium (*voluntarie*) intellegendum sit, quorum utrumque per se recte dicitur[1]). Sicut trita res est et ex titulis codicibusque nota, ita nullam omnino in talibus codicum auctoritatem esse facile apparet. Sed ne longius a proposito recedamus, aggrediamur nunc singularem ex *e* et *ae* litterarum confusione natam vitii speciem, eam dico, qua *a* littera in extremis vocibus absorbetur incipiente vocabulo proximo ab *e* vocali. Quod ut primum claro exemplo illustrem, librarius cum Liv. 23, 24, 13 in continua, quae verborum exitus occultabat, scriptione inveniret *oppressaerat,* haerere potuit, utrum *oppressa erat* an *oppresserat* exararet: quo pacto hoc prave scriptum videmus in Puteaneo codice nec mirari possumus in codicibus ex illo distincte descriptis apparere unam vocem *oppresserat*; prorsus idem vitium

1) Contra numquam dubitari debuit, quin Hor. sat. 1, 3, 7 unice vera lectio sit *io Bacchae* (cf. Eur. Bacch. 567 *ἰὼ βάκχαι, ἰὼ βάκχαι,* ib. 150 *ὦ ἴτε βάκχαι*) vel metro respuente alteram lectionem *io Bacche.*

in eodem verbo accidit in Put. 28, 2, 13, similiter Tac. ann. 14, 62 in Med. extat *eluserat* pro *elusa erat* (correxit Faërnus; cf. C. I. L. IV, 338 *laesaerit* = *laeserit*).

Liv. 22, 25, 19 e Puteanei codicis scriptura *in | servili | eius | artis | ministeria | usum* recte manus secunda cod. Medicei effecit *in servilia eius a. m. u.*; solus Alschefski non perspecta emendationis lenitate recc. codd. sequi maluit, qui manifesto interpolati exhibent *in servili e. a. ministerio usum;* cf. Heerwagen in nunt. Monac. vol. XXIV p. 795 et Weissenborn in Bergkii et Caesaris ephemer. a. 1847 p. 1009.

ib. 40, 3 Puteaneus codex continenter, Colbertinus et Mediceus distincte scripta verba praebent *optare ut omnia prospere venirent,* ubi vulgo hodie corrigitur *evenirent.* Quam correctionem non infitias ibo lenem esse et *prospere evenire* cum latino tum Liviano sermoni convenire, v. Liv. 7, 11, 4. 9, 19, 10. 22, 38, 11. 23, 27, 12. 35, 42, 10. Cic. fam. 3, 12, 2. Plaut. Pseud. 2, 1, 1[1]). Tamen puto nulla mutatione dissolvi codicis Put. lectionem *prosperevenirent* in *prospera evenirent,* quod in aliquot codd. dett. legitur. Et haec quoque locutio bona est (*ut omnia . . . prospera evenirent*) atque etiam Liviana. Quam immerito Woelfflin in dubitationem vocavit Liv. 21, 21, 9 *si cetera prospera evenissent;* cf. 28, 42, 15 *omnia quae prospera tibi evenere;* 37, 47, 4 *ut ea res prospera et laeta eveniret;* 42, 28, 7 *ut id* (bellum) *prosperum eveniret* (contra 7, 11, 4 *si prospere id bellum evenisset*); 5, 51, 5 *invenietis omnia prospera evenisse sequentibus deos, adversa spernentibus* (*prospera,* quod flagitat orationis concinnitas, solus cod. rescr. Veronensis servavit, in reliquis

1) Sall. Iug. 63, 1 variant codd. inter *prospera* et *prospere.* Cic. n. d. 2, 66, 167 ambiguum est *prospere enim — eveniunt omnes res,* cf. supra p. 15 sq.

codd. est *prospere*). Plaut. Trin. 1, 2, 2 sq. *ut nobis haec habitatio bona fausta felix fortunataque evenat;* Sall. Cat. 26, 5 *quoniam, quae occulte temptaverat, aspera foedaque evenerant;* Cic. off. 1, 9, 30 *ea quae nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt;* Tac. ann. 2, 5 *quae sibi saeva vel prospera evenissent;* 15, 27 *multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse;* hist. 5, 17 *cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse* (Med. codex eo, de quo disputaturus sum, vitio *contrarie venisse* exhibet). Omnino non video, cur minus locum habeat nominativus, quem vocant, praedicati in verbo *evenire* quam in aliis eiusdem notionis, ut *evadere* (Liv. 23, 12, 12. 25, 23, 8. 29, 1, 11), *cadere* (2, 3, 5. 6, 35, 10. 22, 40, 3), *accidere* (23, 42, 8) cet.

Exempla eius erroris haud pauca sunt in Puteaneo et Vindobonensi codd. Livianis. En

24, 5, 2 *dispariessent* = *disparia essent;* ib. 22, 7 *libereefferatur* = *libera efferatur;* 25, 25, 5 *nomineapertium* = *nomina ea partium;* 26, 6, 8 *caeseodie* = *caesa eo die* (unde non mirum in codd. recc. legi *caese hodie*, inserta aspiratione, de qua v. infra p. 40 sq.); ib. 18, 2 *curerat* = *cura erat;* ib. 31, 7 *verecundierat* = *verecundia erat;* 27, 31, 5 *deformieffecissent* = *deformia effecissent;* 28, 9, 15 *spreteo* = *spreta eo;* 29, 2, 16 *quiequos* = *quia equos;* ib. 33, 1 *verminerat* = *Vermina erat;* ib. § 8 *itinereludens* = *itinera eludens* (corr. manus quarta); 30, 8, 7 *utraquecornuetnumidae* = *utraque cornua et Numidae* (inde manus quinta *utroque cornu et numidae* interpolavit). — 41, 22, 8 *integresse*[1]) = *integra esse;* 42, 2, 4 *terrenatetinveienti* = *terra enata et in Veienti;* ib. 15, 5 *macerierat*

---

1) Totum genus mendi omnino perspectum non habet M. Gitlbauer, qui in libello *de codice Liviano vetustissimo Vindobonensi*

— *maceria erat;* ib. *aetolietthessalia* — *Aetolia et Thess.;* ib. 48, 2 *manisestenim* — *manifesta enim;* ib. 55, 8 *paruerunt* — *parva erant* (in archetypo videtur fuisse *paruerant*); 43, 8, 7 *coroneam* — *corona eam;* 45, 12, 8 *clarea* — *clara ea;* ib. 29, 9 *alterepiro* — *altera Epiro.* Ex his erroribus quod Maur. Mueller (Beiträge zur Kritik und Erklärung des Livius in progr. gymn. Stendal. a. 1871 p. 10 n. 10) concludendum esse contendit archetypum codicis Vindobonensis dictatum fuisse, equidem hanc necessitatem videre non queo. — Cum verba separata scribi coepta sunt, hi errores ex vetustis codd. recepti sunt aut in ipsa transcriptione orti novisque interdum vitiis a librariis aucti, cum verba corrupta expedire studerent homines ad id negotium parum apti. Sic Liv. 7, 4, 2 in Parisino cod. est *inviserat* pro *invisa erat,* ib. 11, 2 *provinci evenisset* — *provincia evenisset*; 8, 12, 6 in Mediceo cod. *caeserat* pro *caesa erat* (unde non mirum est Klockianum codicem interpolatum habere *cesserat*) et 9, 36, 5 *intranderat* — *intranda erat* et 10, 17, 8 *moenie vasere* — *moenia evasere.* Liv. 3, 34, 8 complures codd. praebent *peroserat* pro *perosa erat*, ib. 7, 8 omnes *auctoritate publice vocat* pro *auctoritate publica evocati;* 21, 47, 3 in Colbertino cod. est *turbe quis* pro *turba equis;* 28, 2, 7 in deteriore aliquo cod. *inique ademerat* — *iniqua eadem erat*, ib. 43, 16 in compluribus codd. *ipse levare* pro *ipsa elevare;* 34, 46, 13 in recc. codd. *porte iecere* pro *porta eiecere.* Haec de Livianis codicibus; ex aliis adnotavi:

Cod. Vaticanus: Cic. Phil. 2, 34, 85 *sellam miteras* — *sellam ita eras;* 3, 6, 16 *pallet* — *palla et;* 7, 4, 12

(Vindob. 1876) scripto p. 98 n. 2 ad hanc scripturam adnotat vitium natum esse, cum *a* littera saepius puncto significaretur. Equidem talia puncta numquam vidi aut audivi.

*colleget* = *collega et;* ib. 7, 20 *custodiet* = *custodia et;* 10, 11, 26 *operet* = *opera et;* 11, 3, 7 *urbere culeum* = *verbera eculeum.*

Codd. Medicei: Tac. ann. 2, 20 *plane venerant* = = *plana evenerant;* ib. c. 52 *valide agens* = *valida ea gens;* hist. 3, 17 *arme quosque* = *arma equosque;* ib. c. 26 *subite ruptione* = *subita erupt.;* 4, 30 *prospere ruptione* = *prospera erupt.;* 5, 17 *contrarie venisse* = *contraria evenisse* (v. supra p. 18). Ambiguum est, quod hist. 4, 81 in Med. legitur *variae disserere*, quod alii *varia edisserere*, alii *varie disserere* intellegunt, itemque varie iudicant critici de Medicei lectionibus ann. 1, 11 *variae disserebat* et 3, 59 *varie dissererent;* cf. Linker, Ztschr. f. öst. Gymn. IV p. 292.

Cod. Nazarianus: Sen. ben. 3, 3, 1 *maxime bellant* = *maxima evellant;* 4, 4, 1 *maxim epicuro* = *maxima Epic.;* ib. 6, 1 *flumine misi terra* = *flumina emisit e terra* (sic optime locum depravatum restituit Vogel probante Gertzio); 6, 17, 1 *opere nixior* = *opera enixior;* 7, 14, 3 *imperatori etiam* = *imperatoria etiam;* ib. 15, 1 *litore mensum* = *litora emensum.*

### 3. *I* simplex pro duplici in verborum confinio positum.

Maxime proclives erant medii aevi librarii ad simplex *i* pro duplici in vocum terminationibus scribendum, velut *reliquis* = *reliquiis*, *fili* (nom. plur. et gen. sing.) = *filii*, *redit* = *rediit*, ita ut omnino nulla sit in his codicum vel antiquissimorum auctoritas. Inde nonnumquam orationis ambiguitas manat, velut Tac. Agr. 8 in verbis codicum *peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere* aut infinitivus intellegendus est *obsequi* aut — id quod magis suspicere apud Tacitum orationis varie-

tate delectantem — gignendi casus substantivi *obsequium:* Ritter, Prammer, alii vel in textu posuerunt *obsequii*, sed praestat talia ambigua relinquere; ad utrumque loquendi genus cf. Verg. ecl. 10, 32 *cantare peritus;* Pers. 2, 32 *oculos inhibere periti.* — Tac. hist. 3, 53 *obsequii insolens;* ann. 2, 43 *obsequii ignarus.* Similiter Nep. Epam. 5, 5 cum codicibus fluctuant viri critici inter *habebat suspicionem adulteri* et *h. s. adulterii*, quorum utrumque recte latine dicitur, v. Nipperdei adnot. ad h. l. factam in ed. mai. Nepotis; ib. Milt. 7, 3 dubitatur, utrum *a classiariis regiis* an *a cl. regis* scribendum sit. Denique Vell. 2, 37, 5 in codicis Amerbacensis et ed. principis lectione *finis imperi regi terminatus Armenia* ambiguitatem efficit *regi:* vulgatur *imperii regii* etc. Ex eo autem more, quem significavi, factum esse puto, ut haud raro in confinio quoque verborum duabus *i* vocalibus aut *i* vocali cum iota concurrentibus simplex *i* a librariis exararetur. In Puteaneo quidem codice Livii habemus 22, 5, 6 *nisindextera* = *nisi in dext.;* 26, 23, 2 *nisinterpellati* = *nisi interp.;* 23, 8, 1 *sin|pertinacia* = *si in pert.* (inde codd. distincte scripti *sin pertinacia* exhibent); 24, 2, 3 *sinora* = *si in ora*, sicut 3, 67, 5 in omnibus codd. praeterquam in rescripto Veronensi prave *sin vobis* pro *si in vobis* habetur; 23, 21, 3 *sibi | quaesita | videatur* = *sibique si ita vid.;* 24, 19, 5 *campaniam* = *Campani iam*, 27, 3, 9 *missiam* = *missi iam* (ut Cic. Att. 7, 13^b^, 7 Med. *Venafriam* = *Venafri iam*); 25, 22, 14 *prodit | oppidum* = *prodi id (it) oppidum* (ut Cic. Att. 15, 15, 2 *odit me* = *odi id me*); 26, 28, 4 *quin* = *qui in*, quod idem vitium accidit in Vind. 41, 23, 5, in Med. Cic. Att. 1, 3, 3. 4. 9, 13, 7 alibique); 29, 1, 6 *quita* = *qui ita*, ib. 36, 11 *ipsi | erant* = *ipsi ierant.* In Vind. Liv. 44, 23, 9 est *iussibi* = *iussi ibi;* 3, 8, 7 in compluribus

codd. *urbis* pro *urbi is*; ib. 28, 9 in omnibus *iussis* pro *iussi is* (correxit Ruperti); 28, 32, 8 in V apud Luchsium *quid* = *qui id*, idemque error occurrit in codd. optt. Cic. p. Mil. 17, 46 et in Vatic. Cic. Phil. 2, 26, 64; Varr. l. l. 6, 69 codd. praeter unum praebent *quidem* pro *qui idem*, ib. § 95 omnes codd. *ibidem* pro *ibi idem*; Ter. Andr. 4, 5, 33 in Bembino vetusto legitur *quinfelix* pro *qui infelix* cet. Nec mirari debemus Front. p. 194 (ed. Naber) et Vell. 2, 121, 1 *ei ius* depravatum esse in *eius*, praesertim si formam pronominis *eius* antiquis temporibus a nonnullis scribi solitam esse *eiius* reputamus, quae forma sescenties in titulis occurrit, velut C. I. L. III, 1365. 1412. VIII, 3056. 9016 cet., in codice palimpsesto Ambros. Plaut. Trin. 430, unde hae corruptelae natae sunt: *ei ius* Cic. p. Mil. 7, 16, *et ius* fam. 6, 2, 1, *ei uis* Att. 1, 1, 4 et Plaut. Trin. 967 in Ambr., cf. Ritschelium ind. ad. Trin. p. 165 et Ribbeckium proll. ad Verg. p. 138. 426 sq. Auxit autem maxime perturbationem in vetustis iam codicibus contraria scribendi consuetudo, qua per quendam *ἰωταкισμόν i* vocalem librarii duplicabant sive mera libidine sive pravo iudicio, cuius rei plurima exempla suppeditant codd. Puteaneus et Vindobonensis Livii. En 42, 17, 8 *experiimentum* = *experimentum*; 43, 13, 2 *aniimus* = *animus*; 44, 5, 6 *soliido* = *solido*; ib. § 8 *pediibus* = *pedibus*; ib. 13, 2 *siita* = *sita*; 42, 46, 7 *invitiis* = *invitis* (quasi *in vitiis*); 43, 2, 2 *hostiis* = *hostis*, ut 45, 26, 10 *principiis* = *principis*, 44, 42, 2 *aliis* = *alis*; 23, 9, 4 *hospitiis* = *hospitis*; ib. 34, 2 *regiis* = *regis*; ib. 46, 2 *coloniis* = *colonis*[1]);

---

1) Haec et similia, quae praecedunt, non dignoscebantur. Sic notabili errore interpres graecus monumenti Ancyrani c. 15 (= 8, 11 gr., 8, 17 lat. ed. Mommsen) vertit *ἀποίκοις στρατιωτῶν ἐμῶν* non intellecta scriptura *colonis militum meorum*.

43, 10, 5 *servilii* = *servili*, intellecto nomine proprio Servilii, ut 22, 4, 7 *claudii* = *claudi*, 23, 34, 11 *caelii* = *caeli*; 44, 20, 4 *alii* = *ali* (ab *alendo*; eadem scriptura misere turbavit obscuravitque locum, qui est Caes. b. g. 6, 21, 4). — 22, 1, 2 *praemii* = *premi* (*praemi*); ib. 10, 7 *diviis* = *divis* (unde recc. codd. *divitiis* interpolaverunt); ib. 39, 15 *quiin* = *quin* (unde *qui in* pro *quin* legitur in Med. Tac. ann. 11, 22. 12, 54); 23, 12, 2 *cladiis* = *cladis*; 24, 27, 2 *perfugiis* = *perfugis*; ib. 38, 8 *fraudiis* = *fraudis*; ib. 23, 3 *audititiis* = *auditis*[1]), ut 23, 28, 7 *iunctiis* = *iunctis*, 24, 49, 4 *coniunctiis* = *coniunctis*, 25, 13, 12 *profectiis* — *relictiis* = *profectis* — *relictis* cet.; 27, 49, 9 *alii* | *qui* = *aliqui*, ut 44, 45, 10 *aliiquotiens* = *aliquotiens* et 45, 23, 10 *aliiquos* = *aliquos*: eodem mendo interpolatum antiquis iam temporibus locum Varronis l. l. 6, 59 Gellius (n. A. 10, 21) legisse videtur *quod mea memoria, ut Aelius, sic senes alii, quod nimium novum verbum esset, vitabant*, pro eo, quod verum est et nostris Varronis codicibus servatum *quod* . . . . . *senes aliquod* (h. e. *aliquot*) *nimium novum verbum quod esset, vitabant*. Ceterum talibus scripturis posteriores librarios saepissime deceptos esse, ita ut aut mutarent verba aut prave divellerent, vix est, quod exemplis etiam probemus.

---

1) Hoc recte nuper Riemann (revue de phil. VI p. 194) vulgatae lectioni *auditis iis* (s. *his*) substitui iussit I. Fr. Gronovio praeeunte. Et abhorret pronomen adiectum a sermone Liviano, cf. 25, 13, 9 *auditis, quae ad Capuam agerentur*; 28, 31, 1 *auditis, quae acta Gadibus erant*; 44, 30, 12 *auditis, quae in Illyrico gererentur*, alia.

## 4. *N* pro *m* ante dentales in confinio vocum scriptum.

Alia erroris species in continua scriptura inde nascitur, quod promiscue *m* et *n* ante dentales consonantes exarabant medii aevi librarii. Constat Romanos in vocum compositione *m* litterae ante dentales concursum in universum non amasse, ita ut suavitatis gratia *n* pronuntiarent, ut in *eundem*, *tantundem*, *quorundam*, *tandem*, *clandestinus* cet.; ubi vero duae compositionis partes certius apparebant, ut in *quamdiu*, *circumdare*, *novemdialis*, eam concursionem non aegre videntur tulisse. Quamquam facile credemus in cotidianae vitae locutione hic quoque plerumque *n* sonuisse; in codicibus quidem tales quoque scripturae inveniuntur, quales sunt *aliquandiu* (in Put. Liv. 21, 46, 6. 55, 9), *iandudum* (in Med. Verg. Aen. 4, 362. 11, 836; cf. Ribbeckii proll. p. 430 sq.), *novendiale*, *duntaxat*, *veruntamen*, *circundare*, *venundare*, *septentrio*, *septendecim* cet., quibuscum comparari possunt *contentu* — *contemtu* (Liv. 42, 50, 8, ut ib. 55, 4 *contentus* pro *contemtus* tralaticio errore legitur), *redentus* — *redemtus* (Fronto p. 196 ed. Naber) quodque hodie Itali dicunt *irredenta* — *irredemta*, *assunto* — *assumtus*, Francogalli *emprunter* — *impromtare*, *conter* — *compter* — *comp(u)tare*. Ex altera autem parte iam primis nostri aevi temporibus non insolitum erat *m* pro *n* ante dentales exarare, cuius rei e Put. et Vind. haec testimonia annoto: Liv. 22, 35, 5 *dicumdo* — *dicundo*; 24, 3, 9 *circumsedemte* — *circumsedente*, ib. 20, 15 *labefactamde* — *labefactandae*, ib. 31, 6 *secumdum* — *secundum* (ut 44, 9, 6 *secumdis*), ib. 40, 14 *aliquamto* — *aliquanto*, ib. 45, 3 *aliumdesentiat* — *aliunde sentiat*; 26, 40, 18 *novamdis* — *novandis*; 42, 34, 6 et 8 *volumtarius* — *voluntarius*

(eadem scriptura extat in Bob. Frontonis p. 119 ed. Naber); 45, 1, 5 *lemtuli — clamdestinum* = *Lentuli — clandestinum* cet.; cf. Schuchardt, Vocalismus des Vulgärlateins I p. 108, qui ex titulis quoque exempla congessit (in lege Iulia municipali habemus *quamtus* et *tamtus, damdum* et *tuemdam*). Dici vix potest, quot errores tales scripturae genuerint in antiquis iam codicibus, velut Liv. 21, 30, 5 in P *iam* | *tum* = *tantum* (in archetypo videtur fuisse *tamtum*, quae forma in P legitur 22, 4, 2. 29, 34, 8 cet.); Cic. fam. 4, 7, 6 in Med. *quam tum* = *quantum;* ib. 2, 4, 2 *laboram dum* = *laborandum* (cf. Tac. ann. 4, 8 in Med. *maturam dum* = *maturandum*); ib. 5, 12, 4 *in legem dote* = *in legendo te;* ib. 8, 2, 1 *rudem tum* = *rudentum;* Cic. Att. 16, 7, 6 *situm de* = *sit unde;* Sen. clem. 1, 1, 8 *per eum diligentia* = *pereundi licentia;* Liv. 44, 25, 6 *patriamde* = *patrandae* (*patramdae*), ib. 26, 2 *sed* | *tam* | *tegenti* = *sed et ante Genti;* 45, 34, 10 *finem dum* = *finiendum;* 44, 38, 11 *trepidant dum* = *trepidandum* (*trepidamdum*; cf. infra p. 112). Saepe etiam insuper *p* littera ante dentalem inserta invenitur ut in *em-p-tus* = *em-tus;* Liv. 27, 28, 8 in P est *intemptius* = *intentius*, 28, 46, 1 *volumptariorum* = *voluntar.;* Tac. ann. 11, 29 *ostemptando* = *ostentando;* Cic. legg. 3, 4, 10 in A *sumpto* = *sunto;* inde crebra verborum *contentus* et *contemptus* confusio (Liv. 44, 36, 13. 37, 4 cet. *contemptus* = *contentus*) explicatur, et quod mirus scriba codicis Harleiensis Livii constanter *numptiare* pro *nuntiare*, *temptoria* pro *tentoria*, *compti* pro *conti* cet. exaravit. Sed accedamus tandem ab hac digressione ad propositum. Ea enim, quam significavi, scribendi licentia, qua *m* et *n* promiscue ante dentales librarii scribebant, haud raro factum esse vidi, ut in confinio vocum fallente scriptura continua *n* pro *m* exararent. Et profecto in

codice continenter scripto v. g. *adpugnamdum* ambiguum erat, utrum *ad pugnam dum* an *ad pugnandum* significaret: unde inter utrumque fluctuantes videmus codices Livii 3; 5, 7 atque etiam editores, ita tamen ut prius genuinum recte iudicent praeter Hertzium. Hac autem via explicatio comparatur multis pravis codicum lectionibus, ut Liv. 22, 12, 4 in P *propalandae | virtute = propalam de virtute;* 23, 35, 16 *operanda | re = operam dare;* ib. 46, 14 *secundae | virtute = secum de virtute*, ut 41, 17, 3 in V *secundae | portare = secum deportare* (Iul. Capit. Ver. 8 *secundę ferre = secum deferre*); 24, 7, 5 *turbandi | nomenes = turbam Dinomenes*, ib. 17, 2 *nec | memorandi | micandi = nec moram dimicandi*, ib. 33, 9 *vastandis | iectamque = vastam disiectamque;* 25, 9, 9 *portante | menitida = portam Temenitida.* Alia eius erroris exempla suppeditat codex Mediceus Cic. fam. 2, 12, 1 *quantu = quam tu;* 5, 20, 8 et 10, 2, 4 *quantum = quam tum;* 8, 3, 1 *ad quem cursiten discrucior = ad q. cursitem discrucior*, ib. 9, 2 *ipsum unde se = ipsum de se* (latet duplex scriptura, v. infra p. 56 sqq.); 13, 66, 1 *hominem tantum = h. tam tuum* (optime locum correxit nuper Madvig adv. crit. III p. 164); Att. 12, 36, 1 *quante = quam te;* 15, 21, 1 *hostentum = hostem tum.* Verg. Aen. 1, 18 apud Nonium (p. 311, 23) scriptum legimus *tantum* pro *iam tum* (*tamtum*); georg. 4, 412 codices Mediceus et Palatinus praebent *tantu* pro *tam tu*, unde interpolationes *tanto* et *tantum* in recc. codd. natae sunt. Fronto p. 30 codex pro *pausam tecum* exhibet *pausan tecum*, quod in textu relinquere Naber non debuit. Denique hanc totam speciem artissime cum pronuntiatione cohaerere vel tituli probant, velut quod apud Orellium no. 6183 legitur *per decen dies = per decem dies* et in inscript. pariet. Pomp. (C. I. L. IV, 1895) *tan durum =*

*tam durum.* Nec ad hanc rem neglegendus est conclamatus ille locus Cic. fam. 9, 22, 2, quem Buecheler demum expedivit (Rh. Mus. XVIII, 413 sq.), scilicet obscenitatem, quam Cicero in verbis consularis cuiusdam hisce *hanc culpam maiorem an illam dicam* reprehendit, positam esse iudicans in eo, quod in extremis *-lam dicam* obscenum *landĭcae* vocabulum delicatae aures auditurae erant.

5. Varii errores in confinio vocum nati.

Parum nota est vulgaris medii aevi depravatio, quae substantivis III. decl. in *-en* exeuntibus accidit, ita ut *e* vocalis pro *i* in casibus obliquis retineretur, velut Verg. Aen. 1, 490 et 11, 683[1]) in Med. est *agmena* pro *agmina*, 9, 565 in Rom. *fragmene* = *fragmine*, 12, 515 in Pal. *nomene* = *nomine;* plura eius scripturae testimonia ex titulis quoque (Gruter 345, 6 *flameni* = *flamini*) diplomatibusque collegit Schuchardt l. c. II, 21 sq. III, 171. Quo factum est in scriptione continua saepenumero, ut subsequente *a* vel *e* littera substantivum in *-en* (velut *semen*) desinens librarii in errorem inducerentur, ut casum obliquum eius substantivi ante oculos habere sibi viderentur (velut *semena* s. *semene*) itaque communem formam (*semina*, *semine*) exararent. Sic v. g. *nomenacandelarum* continue scriptum in exemplo suo librarius ubi reperit, in dubio esse potuit, utrum *nomen a candelarum* an *nomina candelarum* esset: unde hanc pravam lectionem Plin. n. h. 34, 11 invenimus in codice rescr. Vindob. saec. VI. Eadem ambiguitate ortum est Liv. 25, 12, 7 in Put. *flumini | qui* pro *flumen ii* (*i*) *qui;* 2, 59, 7 in Leidensi primo *agmine castris* pro *agmen e castris;* Tac. hist. 5, 2

1) Mira inconstantia Ribbeck priore loco *agmena*, posteriore *agmina* in textu posuit.

in Med. *nomine suo* pro *nomen e suo;* cf. Varr. l. l. 9, 89 codd. *nominet verbum* pro *nomen et verbum.* Denique Caes. b. c. 1, 54, 2, ubi codd. manifesto corrupta haec praebent: *carinae ac primum statumina levi materia fiebant*, certissimum habeo Caesarem scripsisse *carinae ac primum statumen alvei materia f.*, quam emendationem egregiam ab Em. Hoffmanno in Duebneri ed. Paris. vol. II, 405 prolatam mira pertinacia spernunt vel novissimi editores, Nipperdeium sequi praeoptantes, qui servata ceteroquin codicum lectione *primum* in *prima* mutavit, quamquam ne minimum quidem intellegitur mendi origo et *statumina* sic nude dicta valde offendunt (cf. Em. Hoffmann in nov. ann. phil. vol. CIX p. 463 sq.). — E contrario Liv. 3, 39, 4 codicum lectiones *nomen is* et *nomen his* originem habent in archetypi scriptura *nomenis* pro *nominis*, et Tac. ann. 15, 68 ex Medicei cod. lectione *in crimen atraheretur* nescio an recte Ritter effecerit *in crimina traheretur:* improbabile videtur propter attrahendi verbum a Tacito alienum *in crimen attraheretur*, quod ex Orellii coniectura Halm aliique ediderunt. Iam vero vides, unde nata sit loco conclamatissimo, qui est Hor. od. 3, 4, 10, fluctuatio codicum inter *limina pul(l)iae* et *limen Apuliae.*

Adiungere liceat varios errores, quos ut singulis fere exemplis probatos singulis capitibus tractare alienum est, sed quos in confinio verborum commissos ex scriptura continua et orthographicis rationibus item repetendos esse apparet. Eius generis est, quod Liv. 42, 1, 5 in Vind. legitur *crassi | pensi | ciliam* pro *Crassipes Siciliam*: pronuntiandi enim neglegentia *ns* et *ss* promiscue scribebantur a librariis. Cuius rei pauca exempla promam: Liv. 22, 50, 1 P *censatum* — *cessatum;* 44, 11, 1 V *accensione* — *accessione;* 45, 39, 2 *censuri* — *cessuri;*

Verg. Aen. 5, 290 et 340 Med. *consensus* — *consessus* (idem vitium est in Oblongo Lucr. 4, 982); Cic. Att. 15, 5, 3 Med. *in census* — *incessus;* Flor. p. 12, 14 (ed. Jahn) Bamb. *incenserat* — *incesserat;* Tac. hist. 2, 32 Med. *censuram* — *cessuram* (idem vitium Sen. ben. 4, 33, 3 in Nazariano reperitur); Varr. l. l. 7, 93 in codd. G et H ap. Muellerum: *succensit* — *successit* (unde reliqui codd. interpolaverunt *succenset*). — Liv. 21, 48, 2 *accessos* — *accensos;* 29, 6, 4 *locresses* — *Locrenses;* ib. 24, 9 *compressae* — *comprensae* (id. vit. Verg. Aen. 2, 793. 6, 701. Lucr. 6, 454; *depressis* — *deprensis* Liv. 42, 51, 8); 44, 35, 14 *conscessuros* — *conscensurus;* 43, 6, 10 *committere | possum* — *comiter responsum;* Verg. Aen. 5, 587 Med. *infessi* — *infensi;* Cic. Phil. 9, 6, 14 Vat. et fam. 1, 1, 3 Med. *cesset* — *censet;* Tac. ann. 3, 57 Med. *cesserent* — *censerent;* Cic. Qu. fr. 1, 1, 13 Med. *accessus* — *accensus;* Att. 16, 1, 5 *recessis* — *recens is.* V. quae de hac pronuntiationis neglegentia disputarunt Corssen, Aussprache etc. I, 99, Schmitz in mus. Rhen. vol. XI, p. 301, Ribbeck in proll. ad Verg. p. 445.

Eiusdem generis est, quod Liv. 44, 9, 10 in Vind. legitur *castra | eo | pervictam | quam . . . progressurus* pro *c. eo promovit*[1]) *tamquam . . . pr.* vel in Med. Tac. ann. 3, 64 *sectum* pro *set tum:* nam cum promiscue *ct* et *tt* (*t*) scriberentur a librariis iam primis p. Chr. n. saeculis (cf. quae in titulis frequenter inveniuntur *Vitoria, cunti, defuntus, santus* — *Victoria, cuncti* cet., I. N. 7155 *Actico* — *Attico*, ib. 696 *regnancte* — *regnante*) pronuntiationis

1) Hoc verbum bene vulgari puto syllabae *vi* ratione habita: vitium ex *pr(om)ovittamquam, provictamquam* cet. propagatum videtur. Quod nuper ex Weissenbornii coniectura H. I. Mueller scripsit *protulit,* non tam prope accedit ad traditas litteras nec Livius *castra proferre* dixit nisi semel in prima decade 10, 33, 7.

quodam vitio, de quo v. Schuchardt l. c. I, 134 sqq., neglegentia admissa est ut in mediis vocibus ita in confinio duarum. En exempla eius permutationis: Liv. 22, 10, 10 *edictum* = *editum* (id. vit. in V 42, 2, 6. 29, 10), ib. 41, 5 *noctae* = *nota;* 28, 22, 14 *deinvectis* = *dein vetus;* 42, 9, 8 V *icterum* = *iterum*, 44, 30, 2 *mactre* = *matre*, ib. 44, 2 *delecta* = *deleta*, 45, 18, 4 *auctius* = *aut ius;* Fronto p. 120 (Naber) pal. Bob. *midictaria* = *militaria*, p. 226 *condictorem* = *conditorem;* Verg. georg. 3, 230 Pal. *instracto* = *instrato;* Tac. ann. 6, 8 Med. *noctestere* = *notescere*, hist. 4, 53 *victis* = *vittis;* Flor. p. 33, 10 (Jahn) Naz. *sic desub* = *sitae sub* (arch. *sictae* s. *sicte sub*); Cic. Phil. 2, 29, 72 Vat. *redictum* = *reditum* cet. — Liv. 24, 43, 9 P: *autere* = *auctore*, 26, 10, 10 *noti* = *nocte;* 41, 19, 5 V: *autore* = *auctore* cet.

*P* littera in confinio vocum ut in mediis (*prom-p-tus*, *dem-p-sit*) sine dubio in scriptione continua irrepsit his locis: Tac. ann. 12, 20 Med. *hoc temptata* = *hostem tanta* et Cic. Phil. 10, 11, 26 Vat. *successumpsit* = *successum sit.*

*Cs* cum in perpetua scriptura *x* intellegeretur, corruptus evasit Non. p. 169, 31 hic versus Lucilianus (VII, 14 ed. L. Mueller)

*si movet aximad nares delphinus ut olim,*

cui certissimum remedium attulit Roth emendans:

*si movet ac simat nares, d. u. o.*

Cum hac depravatione conferre licet scripturam aliquot codicum Caes. b. g. 4, 7, 3 *exiit* pro *hacc sit* (*hecsit*, *ecsit*). E contrario saepius *cs* pro *x* in codd. exaratum invenitur, velut Liv. 45, 29, 7 *acsius* = *Axius;* 21, 36, 1 Med. *rectis ac si iis* = *rectis saxis;* Varr. l. l. 7, 66 codd. *ac sitiose* = *axitiosae;* Ter. Phorm. 554 D G (apud

Umpfenb.) *fac sit* = *faxit;* Verg. Aen. 11, 790 cod. Bern. *ecsuvias* = *exuvias;* georg. 4, 199 Pal. *necsibus* = *nexibus.*

Denique notabiles sunt hi errores vel potius interpolationes in verborum confinio in vetusto cod. Bembino admissae: Ter. Ad. 4, 5, 68 *quicquam* pro *quid quam*, Phorm. 65 *tanquam* pro *tam quam*, ib. 646 *rettulit* pro *re tulit:* manifesto librarius vocibus prave compestis interpolavit formas, quae aeque locum habere videbantur. Similis interpolationis species deprehenditur Flor. p. 59, 22 (ed. Jahn) in Nazariani cod. lectione *haec duorum querellae* pro *Haeduorum querellae:* hic syllabarum pravam separationem interpolatio secuta est, ex qua velim discat, qui nondum didicit, quantula codicum auctoritas sit in forma nom. plur. fem. *haec* pro *hae*, quae saepius in codd. obvia est. Ex Graecis huc pertinet falsa lectio quaedam, quae nuper in papyro antiqua Eur. Hipp. 430 reperta est *μηκροσοφθειην* pro *μή κοτ' ὀφθείην*: procul dubio nata est interpolatio litteris male distinctis *μη κοτοφθειην* vulgarique inde forma praepositionis *κοτί* substituta, quod perspexit Kirchhoff, Monatsber. d. Berl. Academie 1881 p. 988.

## 6. Praepositiones in confinio vocum assimilatae.

Pridem ex titulis testimoniisque veterum grammaticorum hoc intellectum est assimilandi in verbis compositis rationem certam omnibusque saeculis constanter servatam apud Romanos non extitisse, de singulorum vero scriptorum ratione eruenda omnino cogitari hodie nequire. Hoc unum certum inventum est vetustissimos, qui soli fere in hac quaestione ad rem faciunt, codices, quo remotioris aetatis sint, eo integrius primitivam litte-

rarum naturam servare. Hoc ex Puteaneo quoque Livii codice praestantissimo perspici hoc loco longius expositurі non sumus: sed quoniam omnia, quae in hac quaestione difficillima circumspici et possunt et debent, a viris doctis iam consumpta sunt, novum subsidium nobis comparavimus ex errorum mendorumque a librariis commissorum observatione, atque hoc diutina earum rerum pertractatione nobis persuasimus librarios ipsos maxime proclives fuisse in assimilandas praepositiones, quas non assimilatas invenerant. Quam enim formam non assimilatam tutam fuisse a librariorum licentia putabimus, si v. g. Liv. 36, 12, 4 in Moguntino codice *collecti* pro *coniecti*[1]) scriptum videmus? procul dubio in archetypo solita litterarum *I* et *L* in maiuscula scriptura confusione exaratum erat *conlecti*, cui formae interpolator postea librarius assimilationem induit; similiter in Puteaneo ipso 30, 5, 5 *coniecere* in *collegere* corruptum reperitur accedente litterarum *C* et *G* confusione frequentissima. Maxima autem est copia eorum locorum, ubi praepositiones (*ad*, *in*, *sub*, *ob*) in codicibus decipiente maxime scriptura continua cum nominibus suis ita coaluerunt, ut assimilationem reciperent (*attuendos* — *ad tuendos*, *impuris* — *in puris*, *suppellibus* — *sub pellibus* cet.), quae proprie locum habet in sola verborum compositione, ut *attingere* — *adtingere*, *impensa* — *inpensa*, *suppetere* — *subpetere*. Cuius rei exempla praebent etiam tituli graeci latinique in *ἐν* et *in* praepositionibus, velut *ἐμ πόλει* — *ἐν πόλει* (C. I. A. 21, 9. 27, 6 cet.), *ἐμ πρυτανείῳ* — *ἐν Πρυτανείῳ* (ib. 8, 4), *ἐμ Μελέτῃ* — *ἐν Μελέτῃ* (ib. 324 a, 10. 12 cet.), *ἐλ Λίνδῳ* — *ἐν Λίνδῳ* (ib. 237, 18), *ἐγ κύκλῳ*[2])

1) Item Caes. b. g. 2, 28, 1 omnes codd. *collectos* praebent pro *coniectos*.

2) Inde explicatur, quod Paus. 3, 15, 11 codex Vaticanus ex-

— *ἐν κύκλῳ* (ib. 322 a, 41); *im memori* — *in memori(am)* (C. I. L. III, 1971. 3115), *im bello* — *in bello* (ib. 4835), *im praetorio* — *in praetorio* (ib. 4487), *im pace* — *in pace* (ib. VIII, 5493. 10542), *im balneum* — *in balneum* (ib. IV, 2410), *imperpetuum* — *in perpetuum* (Grut. p. 1088 n. 4). Ex quibus titulorum testimoniis Romanos Graecosque in continua vitae cotidianae oratione assimilatam praepositionem pronuntiasse verisimile fit, qua in re illud quoque notabile est, quod Cicero in or. pro Tullio habita § 20 — si codici rescripto Ambrosiano fidem tribuere licet — dominum cum servo loquentem facit *quid vobis stic negoti immeo est* (*q. v. istic negoti in meo est*) vulgarem pronuntiationem exprimens, et quod in eiusdem Ciceronis legg. 3, 3, 6 in antiquae legis verbis codicum consensu traditur *imploera* — *in plura*. Quod autem attinet ad librarios, ad quos iam transibimus, puto potissimum adiutam esse eam, quam indicavi, assimilationem scriptione codd. veterum continua; in qua ubi v. g. librarius invenit verba *adtollendumsenatum*, dubitare potuit, utrum *ad tollendum sen.* an *attollendum sen.* significaretur: illud in Put. Liv. 23, 2, 7 prave exaratum confirmat nostram sententiam, qua librarios pronos ad assimilandas praepositiones fuisse supra statuimus. En plura exempla praepositionis *ad* in vocum confinio perperam assimilatae:

Liv. 21, 57, 2 *atticinium* — *ad Ticinum;* 22, 2, 4 *attalia* — *ad talia*, ib. 11, 5 *attiberim* — *ad Tiberim;* 23, 17, 2 *attamexigua* — *ad tam ex.;* 24, 2, 11 *attalem* — *ad talem*, ib. 12, 3 *attifata* — *ad Tifata*, ib. 29, 4

hibet *τοΓ γαρ* — *τὸν γάρ*, in qua scriptura errat Schubart (Bruchstücke zu einer Methodologie etc. p. 21), cum in archetypo codicis litteram *N* similem litterae *Γ* formam habuisse putat. Cf. C. I. A. 51, 9 *τογγραμματέα* — *τὸν γραμ.*

*attuendos* — *ad tuendos*; 26, 22, 3 *attribunal* — *ad tribunal*; 27, 7, 7 *attarentum* — *ad Tarentum*.

*An* pro *ad* ante *n*: Liv. 21, 49, 7 *annaves* — *ad naves*; cf. 29, 14, 2 cod. Harl. *annuntianda* — *ad nuntianda*.

*Ac* pro *ad* ante *c*: Liv. 26, 51, 9 *accusato iam* — *ad custodiam*; cf. Cic. Att. 4, 2, 1 cod. Med. *accumulandum* — *ad cumulandum*; Prop. 3, 14, 9 cod. Flor. *accestum* — *ad caestum*.

*Al* pro *ad* ante *l*: Liv. 28, 1, 9 *allevam* — *ad laevam*, cf. 38, 14, 10 cod. Mog. *allimnem* — *ad Limnem*; Cic. fam. 3, 8, 2 Med. *allegatos* — *ad legatos*; Varr. l. l. 7, 17 codd. *allatus* — *ad latus*, quod in scriptura continua videri poterat participium verbi *adferendi*, ut illo loco *adlegandi*.

*As* pro *ad* ante *s*: Liv. 45, 35, 5 *assumma* — *ad summa*; 42, 62, 15 et 64, 1 *assurium* — *ad Sucurium*. Contrarie semel Varr. l. l. 9, 83 *cum as sit simplex* continenter scriptum decepit librarium, ita ut *adesse* verbum inesse ratus *cum adsit simplex* poneret [1]).

*Ap* pro *ad* ante *p*: Liv. 30, 34, 4 cod. Colb. *appellandum* — *ad pellendum*; Cic. fam. 8, 4, 4 Med. *quo appeteretur* — *quoad peteretur*. Eodem errore Papias sive auctor eius glossam Placideam (p. 8, 15 ed. Deuerl.) scripsit *appenita*, *ad intima* pro *ad penita*, *ad intima*.

*Af* pro *ad* ante *f*: Flor. p. 16, 12 (Jahn) codd. *spolia de Larte Tolumnio rege afferret triumphum reportaret* exhibent pro *spolia* .. *ad Feretrium triumpho reportaret*.

---

1) Lucilii fragmentum corruptum (V, 30 ed. L. Mueller) *adsiduas ficos* probabiliter Dousa correxit *asse duas ficos*, quod in scriptione continua a librario intellectum est adiectivum *assiduas*: forma, quae est *assedwus*, in titulis saepius occurrit, v. Schuchardt l. c. II, 8. III, 166. Est Capri grammatici (p. 2247 P.) praeceptum '*assiduus*, non *assedwus*'.

*Im* pro *in* ante labiales: Liv. 23, 34, 11 *impericulosam* = *in periculosam;* 26, 12, 10 *imbostharem* = *in Bostarem*, ib. 41, 12 *importis* = *in portis;* 42, 67, 11 *imboetiam* = *in Boeotiam;* 44, 7, 4. 8, 1 *imperia* = *in Pieria;* ib. 9, 10 *imperiam* = *in Pieriam;* 45, 36, 3 *impraemiis* = *in praemiis*; 5, 3, 4 cod. rescr. Veronensis habet *implebem* = *in plebem;* 29, 1, 24 cod. V apud Luchsium *imperpetuum* = *in perpetuum* (uno verbo, ut Cic. Phil. 7, 9, 27. 12, 6, 13 in cod. Vat.), 30, 12, 6. 36, 6 *impresentia* = *in praesentia;* 30, 11, 6 cod. Harl. *impropinquo* = *in propinquo;* 23, 4, 8 cod. Colbert. *impresidia* = *in praesidia*, quod habet Puteaneus, ex quo ille descriptus est; 29, 15, 3 codd. praeter Put. exhibent *imperio romano* aut *imperii romani* pro *in p. r.*, h. e. *in populo Romano* (in continua scriptura abbreviatio *inp.* = *inperium* prave intellecta est). — Tac. ann. 1, 35 in Med. est *impectus* pro *in pectus;* 12, 2 *impenalibus* = *in penatibus;* Cic. Att. 5, 16, 1 in Med. *imperditam* = *in perditam;* Caes. b. g. 4, 27, 4 in compluribus codd. *impetenda pace* pro *in petenda pace*, 2, 26, 5 *impericulo* = *in periculo;* Flor. p. 111, 8 (ed. Jahn) in Bamb. *im pompeio* = *in Pompeio;* Prop. 4, 1, 14 in Flor. *imprato* = *in prato;* Hor. ep. 2, 1, 265 in recc. codd. legitur *impeius* aut gliscente vitio *impetus* pro *in peius;* Verg. Aen. 1, 115 in Med. *impuppim* = *in puppim;* georg. 1, 170 *imburim*[1]) = *in burim* (plura ex Vergilianis codd. exempla

1) Vel ex hac scriptura, quae extat etiam in Palatino et in duobus dett. codd., apparet, quid fidei habendum sit glossae, quae Placido ascribitur in libro Glossarum: *inburim* (*s. imburim*), *incurvatio* adversus eam, quam Placidi libri (p. 57, 11 ed. Deuerl.) ostendunt *in burim*, *in curvationem*, simul probabile fit, ad ipsum hunc locum Vergilianum spectare glossema (cf. Servii adnotationem: *in burim*, *in curvaturam* et schol. Bern.: *buris curvamentum aratri*

collegit Ribbeck proll. 434). — *Im* pro *in* ante *m:* Liv. 21, 41, 4 Colb. codex *immodum* exhibet pro *in modum;* eadem scriptura invenitur in Med. Tac. ann. 14, 30. 15, 37. hist. 4, 22; Verg. Aen. 6, 371 Med. *immorte* = *in morte*, 8, 279 *immensam* = *in mensam*, quod poterat in scriptura continua intellegi adiectivum *immensus* (plura v. apud Ribbeckium l. c. 433 sq.); Tac. ann. 6, 38 Med. *im macronem* = *in Macronem*, 12, 33 *immelius* = *in melius*, 15, 54 *immucronem* = *in mucronem;* Cic. Phil. 11, 3, 8 Vat. *im mortuo* = *in mortuo*, 2, 7, 18 *im memoriam* = *in memoriam*, ib. 16, 40 *immentem* = *in mentem;* Flor. p. 119, 22 (ed. Jahn) Naz. *immanus* = *in manus;* Arnob. 4, 9 (p. 148, 5 ed. Reifferscb.) codex unicus Parisinus praebet *immortalibus* pro *in mortalibus*. Denique fragmenta Taurinensia novi, quod vocant, testamenti a Tischendorfio publici iuris facta (in Wiener Jahrbücher, Jahrg. 1847 sq.) haec suppeditant: ev. Marc. 9, 31 *immanus* = *in manus*, 14, 9 *immemoria* = *in memoria*, 9, 36 *immedio* = *in medio*, quocum comparari possunt hae scripturae codicis Alexandrini Ezech. 1, 1 *ἐμμέσῳ* = *ἐν μέσῳ*, 5, 2 *ἐμμέσῃ* = *ἐν μέσῃ*; cf. H. Roensch in mus. Rhen. vol. XXXIV, 503.

*Sub* assimilatum: Liv. 23, 18, 15 *suppellibus* = *sub pellibus;* eadem scriptura extat in codd. Caes. b. g. 3, 29, 2, Flor. p. 16, 10 (ed. Jahn), Tac. ann. 14, 38 cet.; Verg. Aen. 2, 227 complures codd. praebent *sup pedibus* = *sub pedibus*, 10, 626 *supprecibus* = *sub precibus* (plura v. apud Ribbeckium l. c. p. 389); Flor. p. 111, 1 Bamb. *suppercussore* = *sub percussore:* p. 122, 1 Naz. *succoro-*

---

*est*): nonnullae autem glossae Placideae possunt videri ad carmina Vergiliana scripta esse. Prorsus igitur reiciendum censeo Deuerlingium *imburvum* lemma latere suspicantem.

*natur rebelli* = *sub corona iure belli;* Verg. georg. 4, 204 Pal. *suffasce* = *sub fasce.*

*Ob* assimilatum: Ter. Heaut. 956 in Bembino est *offactum* pro *ob factum*, ib. 990 *oppeccatum* pro *ob peccatum.*

Simile atque *ad*, *in*, *sub*, *ob* praepositionibus accidisse observavi praepositioni *ex* in vetustis codicibus: saepe enim *ex* praepositio cum nomine ab *s* littera incipiente ita coaluit, ut *s* neglegeretur eadem ratione, qua in verbis compositis *exilire*, *extare* pro *exsilire*, *exstare* scribere moris erat. Quae neglectio in his ambiguitatem interdum efficere potuit, velut *exortis* utrum ab *exsors* an ab *exortus*[1]) profectum esset, ambiguum erat; *exaequetur* librariis medii aevi valebat et *exaequetur* ab *aequandi* verbo ductum et *exequetur* a *sequendi* verbo, unde in Vind. Liv. 45, 38, 8 prava lectio *exsequetur* orta est; denique quod Suet. Galb. 3 in codd. est *excidit*, discerni non potest, utrum compositum verbum *caedendi* an *scindendi* sit, ac ne illud quidem, quod Tac. hist. 4, 34 in Mediceo codice scriptum extat *exscidisset*, per se ullo modo probat *exscindendi*[2]) verbum a Tacito esse positum, quod non perspexit Lahmeyer Phil. vol. XXXVIII, 152. Librarii enim veteres plane arbitrio suo *s* post *x* consonantem ponere solebant, cf. Liv. 26, 40, 14 P: *sexsui* = *sex ui;*

1) *Externandi* verbum ab adi. *externus* ductum auctoritate Isidori et Dosithei magistri p. 59, 17 niti videtur, quorum hic habet *externo ἀλλοτριόω*, ille *externavit extraneum fecit;* nam Labbaei glossemate, quod Georges lex. s. v. *externo* huc trahit *externatus ἐκτὸς φρενῶν*, mihi persuasum est significari *exsternandi* (= *consternare*) verbum, quo Catullus, Ovidius, Apuleius usi sunt; cf. Non. p. 108, 12 *externavit, ut consternavit, id est dementem fecit,* quae glossa scripta est ad Catulli c. 64, 71.

2) Cf. quae infra p. 87 de hac controversia disputabuntur.

28, 24, 4 *exscita* = *excita;* 4, 13, 1 in pal. Ver. est *exsequestri* = *ex equestri;* Fronto p. 51 (ed. Naber) in Bob. *noxsit* = *noxit,* p. 210 *exsuviae* = *exuviae;* Tac. ann. 1, 2 in Med. *exsuto* = *exuto,* 16, 19 *exsoletum* = *exoletum,* 6, 23 *exstractum* = *extractum* cet.; v. Ribbeck proll. ad Verg. p. 445 sq. In titulis quoque hoc vulgatissimum est: *sexsiens* legitur in Mon. Anc. c. 16 (= 3, 24 ed. Mommsen), *exsimiam* = *eximiam* C. I. L. VIII, 3638, *exsacto* = *exacto* ib. X, 4362, *exsitiosus* = *exitiosus* ib. 2132, cf. Schuchardt l. c. I, 132. Iam consentaneum est v. g. *exsitu* in continenti scriptura librariis valuisse et *ex situ* et *exitu,* unde haec falsa lectio orta est in Nazariano codice Sen. clem. 1, 1, 4. Eodem modo *s* absorptum videmus in confinio vocum his locis:

Liv. 21, 49, 7 P *expeculis* = *ex speculis;* 22, 6, 8 *exaltu* = *ex saltu* (unde interpolatio facta est *ex alto* in cod. Colbert.), ib. 10, 3 *exuiillo* = *ex suillo;* 26, 21, 7. 29, 26, 7 *exicilia* = *ex Sicilia;* 27, 2, 4 *examnio* = *ex Samnio;* 42, 15, 9 V *exemita* = *ex semita,* ib. 51, 7 *exintris* = *ex Sintiis;* 44, 27, 12 *exedicto victo* = *ex se victo* (latet duplex lectio, v. infra p. 66); 1, 58, 3 aliquot codd. *ex omni* pro *ex somno;* 29, 10, 6 *expoliis* = *ex spoliis;* Ter. Eun. 254 Bemb. *extultis* = *ex stultis;* Tac. ann. 11, 21 Med. *exe natus* = *ex se natus;* hist. 1, 84 *ex enatoribus* = *ex senatoribus;* Cic. Att. 16, 3, 2 Med. *ex aufeio* = *ex Saufeio;* Flor. p. 62, 1 (ed. Jahn) Bamb. *ex plendore* = *ex splendore,* p. 81, 16 *ex atellitibus* = *ex satellitibus,* p. 104, 19 Naz. *exylla* = *ex Sylla* (= *Sulla*); Caes. b. g. 6, 42 optt. codd. *ex tatione* = *ex statione,* ib. 19, 1 *exuis* = *ex suis;* Sall. Cat. 28, 4 Par. *exulanas* = *ex Sullanis,* Iug. 35, 2 *extirpe* = *ex stirpe;* Val. Max. p. 286, 22 (ed. Halm) Bern. *exenonibus* = *ex Senonibus;* Vell. 2, 8, 3 apogr. Amerb. *excordiscis* = *ex Scordiscis,*

unde in ed. princ. expressum legitur *ex Cordiscis;* Sen. clem. 1, 1, 6 Naz. *exolido* = *ex solido.* Video aliter de tota re Alschefskium iudicare in adnotatione ad Liv. 21, 49, 7 (*expeculis*) facta, cum in his *x* pro *s* orthographico medii aevi more scriptum esse atque inde *e speculis, e saltu* cet. legendum censet. At valde vereor, ne haec ratio in eos tantum locos, ubi consonans praepositionem sequitur, ut *expeculis, extatione, extirpe, explendore,* recte valere possit: ibi *e speculis, e statione* cet. intellegi posse nemo negabit inspectis talibus scripturis, quales sunt Liv. 28, 42, 14 P *exclausurus* = *es clausurus;* 42, 21, 6 V: *datus | extis* = *datus est is;* 29, 11, 1 cod. *γ* apud Luchsium *exculapium* = *Aesculapium;* Prop. 2, 3, 44 cod. Flor. *experios* = *hesperios;* 4, 1, 124 *extivis* = *aestivis* (ut C. I. L. X, 5349 *extivae*); Liv. 27, 14, 2 *γδ* apud Luchsium *externum* = *hesternum,* unde crebra earum vocum confusio intellegitur (cf. codd. Prop. 1, 15, 5. 2, 34, 59. 3, 8, 1), 29, 17, 1 plerique codd. *extimentur* aut *exstimentur* aut *existimentur* praebent pro *aestimentur,* ubi singula corruptionis momenta cernere licet, quibus constanter fere *aestimare* et *existimare* in codd. permutantur; denique *x* pro *s* apparet, ubi *e* vocalis, ut solet, a librariis *s* impuro praemissa erat, ut Liv. 24, 10, 10 P *expoleati* = *Spoleti* (*espoleti*); C. I. L. IX, 259 *explendidus* = *splendidus;* Itin. Alex. 40 (ed. Mai) *aper expectabilis formae,* ubi vulgarem habemus formam adiectivi *spectabilis,* sicut etiam *exspectaculum* = *spectaculum, expolia* = *spolia, exponte* = *sponte* similiaque in codicibus chartisque medii aevi passim occurrunt, v. Schuchardt l. c. II, 343. Itaque sane ambiguum est illud *expeculis,* utrum *e speculis* an *ex speculis* sit, at *exaltu* vereor ut intellegendum sit *e saltu,* cum ante vocales librarii *es* pro *ex* aut *ex* pro *es* scripsisse non videantur.

### 7. Aspiratio prave mediis inserta.

Constat pereunte medii aevi temporibus aspiratione vocabulorum eo ad extremum rem venisse, ut non iam sciretur, quaenam voces ab aspiratione inciperent, quae non. Inde pervulgata in codd. licentia orta est detrahendae addendaeve ex libero arbitrio aspirationis; e. g. non dignoscebantur *hac* — *ac*, *his* — *is* (v. infra p. 48), *haud* (*haut*) — *aut*, *hora* — *ora*, *hara* — *ara*[1]), *hominis* — *ominis* (cf. Vind. Liv. 41, 18, 14), *hornus* — *ornus* (cf. codd. Prop. 4, 4, 61), *horti* — *orti* (cf. ib. 4, 2, 42), *here* — *aere* (ib. 3, 18, 25), *hillae* — *illae*, *Aelius* — *Helius*, *hostia* — *Ostia*, *hostium* — *ostium*, *habena* — *avena*, *habeo* —. *abeo* — *ab eo* (Sall. or. Phil. in sen. § 5) — *aveo*, *hesternus* — *externus* (v. supra p. 39)[2]), *habitus* — *avitus* (cf. Med. cod. Tac. ann. 11, 35. 13, 34. 56), *Hannone* — *annonae* (cf. cod. $\gamma$ Liv. 30, 38, 5); unde etiam in mediis vocibus maxima confusio orta est; cf. Liv. 24, 35, 6 P: *parthis* = *partis*; Prop. 3, 4, 6 Neap. cod. *parta* = *Partha*; Arnob. 2, 20 (p. 64, 22 ed. Reiff.) *notum* = *nothum*; Prop. 4, 7, 22 Neap. *nothi* = *noti*; Tac. hist. 1, 2 Med. *coortae* = *cohorte*, ib. 4, 60 *coorti* = *cohorti*. Ex eodem autem genere est, quod hic illic accidit, ut scriptura continua verborum fines occultante

---

1) Cf. hanc differentiam, quam docet vetus glossarium in Maii Cl. Auct. VI, 555: *ara, quum altare significat, per 'a' solum scribendum, quum vero cubile porcorum cum aspiratione.*

2) Cf. ib. p. 578 *externa, quod est extranea per e et x scribendum; si de die loquamur, per 'h' scribendum.* Ceterum notanda est in hac re falsa, quae usque ad nostra tempora manavit, scriptura *posthumus*, nata pravissimo veriloquio, quo usus iam Servius *posthumus est post humationem patris creatus* adnotavit ad Aen. 6, 763.

vocibus prave distinctis aspiratio male insereretur a librariis. En exempla: Liv. 42, 26, 1 V: *exasperat* | *hos* = *exasperatos*, ib. 42, 7 *accipiat* | *his* = *accipiatis;* 44, 38, 8 *labore* | *hodie* = *labor eo die* (vitium optime correxit Vahlen, ante quem vulgata obtinuit lectio *labor hodie*); 45, 43, 10 *dyrrae* | *in* | *his* = *Dyrracinis*, cf. 22, 12, 10 P: *pristinis* | *in* | *his* | *cladibus* = *pristinis cladibus;* Cic. p. Scauro § 37 frgt. Ambros. *spem* | *in* | *his* = *spe minis;* Flor. p. 23, 18 (Jahn) codd. Iord. *haros in his* = *Arusinis;* Scr. hist. Aug. Gallien. 12 codd. *ostendentia cum in his* = *ostendendi acuminis*, quam vocem latere perspexit post Salmasium Madvig adv. crit. II, 643; Cic. legg. 3, 4, 10 cod. h apud Vahlenum habet: *extra magistri tusco herario esus* pro *extra magistratus coerari oesus;* Plac. p. 45, 13 (ed. Deuerl.) nonnulli codd. 'libri Glossarum': *reciperat hos* = *reciperatos;* Sen. contr. p. 139, 6 (ed. Haase) *possit his* = *possitis;* Liv. 6, 9, 16 codd. mell. *ubi horum* = *Ubiorum;* Tac. hist. 4, 63 Med. *ubi hos* = *Ubios;* Flor. p. 33, 17 (ed. Jahn) Bamb. *dum his* = *dumis*, p. 48, 9 Naz. *sanguinem adherent* = *sanguine maderent*, p. 40, 5 *adultum hos* = *ad ultumos*, ut Liv. 30, 33, 9 Bamb. *ex asperum his* = *ex asperrumis* et Nep. Att. 20, 4 codd. *exul* (s. *exsul*) *tum his* = *ex ultumis:* his tribus locis nota etiam antiquiores superlativi formas e ruderibus traditionis erutas, quae quoties a librariis expulsae sint, metiaris corruptela, qua in Mediceum Tac. ann. 6, 36 *ultimi id* pro *ultum iit* venit. Denique praepositionibus intellectis, ubi nullae erant, hae scripturae ortae sunt saepius obviae in codd.: Liv. 30, 38, 8 Bamb. *cum his* = *Cumis* (idem vitium reperitur in Med. Liv. 8, 22, 5), Flor. p. 11, 5 (ed. Jahn) Naz. *de his* = *deis* (eadem scriptura est in pal. Bob. Frontonis p. 88 et in apogr. Amerb. Vell. 2, 130, 3).

### 8. Errores ex notarum punctis neglectis aut intempestive intellectis orti.

Ea neglegentia, qua compendia notaeque vocum a reliquis orationis verbis non distinguebantur puncto postposito, iam in continua scriptura errores genuit. En Liv. 22, 14, 9 P: *saltus* | *quem* | *furius* = *saltusque M. Furius;* 45, 16, 3 V: *urbanam* | *iuventi* = *urbana M'. Iuventi,* cf. 30, 42, 5 Bamb. *adversus eam furius* = *adversus ea M. Furius;* Vell. 2, 66, 4 Amerb. *tum Ciceroni*[1]) = *tu M. Ciceroni;* Liv. 45, 26, 7 *quos* | *rabies* | *agitat* = *quae* (*que*, *q.*) *vos r. agitat,* cf. Lucr. 4, 351 Obl. *obsiditquia* = *obsidetque vias* (e contrario ib. 5, 654 in Quadr. est *autque uia* pro *aut quia*); Liv. 23, 21, 4 P: *consuleret* | *otacilius* = *consulere T. Otacilius,* ib. 19, 17 *manicio* = *M. Anicio;* 41, 21, 9 V: *pelli* = *P. Aelii* (*paelii*, *pelii*), cf. Tac. ann. 13, 22 Med. *panteio* = *P. Anteio;* 1, 38 *mennius* = *M'. Ennius,* 2, 6 *cantio* = *C. Antio,* 6, 1 *ac caesare* = *a C. Caesare;* Sen. rh. p. 43, 20 (ed. Burs.) codd. *Cestium praetorem* pro *Cestium P.* (i. e. *Pium*) *rhetorem,* quae egregia emendatio Bursiano debetur; Cic. Phil. 10, 3, 6 Vat. *catonis* = *C. Antoni* (*cantoni*, *cātoni*), ib. 9, 1, 3 *cui* = *c. ui.*, h. e. *clarissimo viro* (corr. Th. Mommsen), ib. 3, 9, 23 *cur* = *c. uir,* h. e. *clarissimus vir;* Att. 15, 24 Med. *his* = *H. I. S.* i. e. *hora prima semis,* quem locum correxerunt Orelli et Buecheler mus. Rhen. XI, 531. E contrario hic illic notae visae sunt librario,

---

1) Contrarie erratum est Cic. p. Tull. § 54 in palimps. Taurinensi, unde cum mira patientia soloeca haec vulgarentur *sequitur, ut familia M. Tullii concidi oportuerit,* nuper Siesbye in Madvigii adv. crit. III, 113 monuit necessario scribendum *familiam Tullii esse.*

quae nullae erant, velut Liv. 25, 2, 9 in Put. est *t. apullus* pro *Tapulus*, 30, 14, 3 *l. aelius* pro *Laelius*, 44, 16, 8 in Vind. *p. r. utilio* = *P. Rutilio*, ib. 27, 2 *C. longicus* = *Clondicus*, 31, 4, 3 in Bamb. *t. apuleius* = *Tapulus*, ib. 49, 12 *t. appulus* = *Tapulus;* Tac. ann. 13, 30 in Med. *G. Aminius* = *Caninius*, hist. 3, 10 *t. ampium* = *Tampium*[1]). Perscripta talia apparent in his: Tac. hist. 2, 86 Med. *titus amplius* = *Tampius* (corr. Faërnus), Flor. p. 90, 5 (ed. Jahn) Bamb. *lucius amponius* = *Lamponius.* Similiter interdum *b* littera sigla terminationis, quae est *bus*, intempestive a librariis intellecta est: Arnob. 5, 25 (p. 196, 22 ed. Reiff.) codex habet *quib. at* pro *quibat*, ib. 7, 45 (p. 279, 26) *qualib. et* pro *qualibet;* Liv. 30, 42, 12 codd. recc. *factionibus archinae* = *factioni Barcinae*, quod acceptum erat *factionib. arcinae;* 44, 13, 4 Vind. *militibus | ob | eam* = *Meliboeam*, pro quo in archetypo *milib. oeam* fuisse puto; Lucr. 5, 1071 Obl. *desertibus aubantur* = *deserti baubantur*, ib. 6, 1240 *poenibus at* = *poenibat;* Verg. Aen. 11, 572 Pal. *nutribus at* = *nutribat;* Cic. legg. 2, 7, 16 *testibus his* s. *testibus is* pro eo, quod solum requiritur *testibus* (v. Vahleni ad h. l. adnot.): error natus videtur ex *testibiis* pro *testibus* scripto, v. quae infra p. 114 sq. disputabuntur de solita litterarum *u* et *ii* confusione. Denique eodem pravo iudicio interdum librarii syllabam *cons* s. *cos* in vocibus ipsis siglam vocabuli *consul* acceperunt, v. Liv. 3, 13, 8 codd. *intus cos.* pro *in Tuscos;* Vell.

1) Eius generis est illud nobile mendum, quo librarii medii aevi *M. Accium Plautum* ex *Maccio Plauto* effecerunt, quod genuinum nomen Ritschelii egregia disputatio poetae restituit. Eo autem proclivior erat error hic ut in *Tampii* nomine, quod et *Accii* et *Ampii* antiquis temporibus extiterunt (contrarie Cic. fam. 2, 16, 3 in Med. legitur *tampii* pro *T. Ampii.*)

2, 67, 4 apogr. Amerb. *interio cōs. militaris* — *inter iocos militares;* Liv. 30, 18, 15 Put. *cos. conius* — *Cosconius*, unde non mirum est perscriptam siglam, quae falso videbatur, apparere in his: Cic. p. Vat. 7, 16 cod. Erfurt. *consul conius* — *Cosconius*, ib. 5, 12 *consul conio* — *Cosconio*, Liv. 3, 35, 9 cod. rescr. Veron. *consulibus tantissimo* — *constantissimo*, 37, 2, 9 codd. *Brutus consul* s. *consulis* pro *Brutus in Tuscos*, quod primum depravatum esse videtur per homoeoteleuton in *brutuscos*, cf. Flor. p. 83, 17 (ed. Jahn) codd. *umbros plotius senatus et consules* — *Umbros Plotius, Egnatius Etruscos.* De mira depravatione, quae saepius substantivo *cognomen* accidit, ut *cos. nomen* s. *consul nomen* intellegeretur, v. quae infra exhibebimus p. 108.

Ad extremam hanc capitis particulam illud quoque pertinet, quod nonnumquam factum est, ut fallente scriptione perpetua vocabulorum notae a librariis prave referrentur[1]), velut quod Liv. 43, 15, 5 in Vindobonensi pro *senatu* legitur *se* | *non*, procul dubio ex vulgari vocis senatus nota *sen.* s. *sen̄*[2]) ortum est, in qua librario perverse distinguenti *se* et *non*[3]) inesse videbatur; contrarie semel peccatum est in Bambergensi Liv. 38, 16, 15 *ad senatum perventurum* pro *ad se non perventurum:* in archetypo videtur fuisse *ad sen̄perventurum*, quod nec li-

1) Cf. Vell. 2, 116, 1 *diligenti quib. ius* pro *diligentiq. vibius* — *diligentique Vibius.*

2) Haec nota alibi quoque orationem corrupit, velut Cic. Pis. § 45, ubi omnes codd. praebent *absens* pro *ab senatu*, et Phil. 11, 4, 9, ubi in Vat. est *seni* pro *senatus.*

3) Nota negationis *N.* s. *N̄* (—*non*) videtur esse inter paucissimas, quae antiquissimis iam temporibus in usu fuerunt: in venerandae aetatis fragmentis Taurinensibus Cic. p. Tull. § 42 extat. Male autem ad huius notae antiquum usum demonstrandum Gitl-

brarii intellexerunt nec Weissenborn *ad se tum non perv.* latere suspicans. Similiter ac prior locus depravatus est alter in Put. cod. Liv. 24, 45, 3 *aliiudicioestet* pro *aliunde stet:* in archet. sine dubio erat *aliiūdestet* scriptum, ubi cum lineola transversa, qua *n* significabatur, ad tres simul litteras pertinere librario visa esset, *iudicio* explicavit perscripsitque: antiquitus *iudices* et *iudicium* notabatur *iud̄.* (v. Liv. 45, 37, 8 Vind.).

---

bauer (Zeitschr. f. öst. Gym. 1878 p. 346 sq.) utitur loco Terentiano Ad. 3, 4, 38, ubi in Bembino vetere cod. *postremon* pro *postremo non* legitur: tralaticia potius est haplographia, qua syllaba *on* bis scribenda semel tantum exarata est; cf. quod in eadem syllaba accidit in Put. Liv. 26, 40, 9 Hann*on* = Hanno *non*; nec bene provocat v. d. ad locum Livianum 45, 19, 17, qui est admodum dubiae lectionis.

## II. De numerorum notis prave intellectis.

In oratione T. Manlii redemptionem captivorum Cannensium dissuadentis Liv. 22, 60, 19 haec Weissenborn in editionibus ab ipso comparatis, Hertz aliique ex interpolata, ut mox apparebit, scriptura recentioris cuiusdam codicis Loveliani ediderunt: *ex milibus septem armatorum sescenti extiterunt, qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent, neque his sescentis tot milia hostium obstitere*, quam lectionem Maur. Haupt quoque coniectando invenit. Et nimis longe haec scriptura a vestigiis codicis Puteanei, unde omnia in tertia Livii decade pendent, recedit verba omni sensu cassa exhibentis *neque* | *hiis* | *sescenta* | *milia* | *hostes* | *obstitere*, et ne ad sententiam quidem omnino apta est, cui optime omnium Madvig satisfecit, in emend. Liv. p. 310[2] scribendum proponens *neque his sescentis hostes obstitere*, quam correctionem lenissimam et fere nullam, ut postea videbimus, Ingerslevio, Woelfflinio, Harantio, H. I. Muellero, Frigellio probavit. Atque sententiae quidem loci hac sola lectione satisfieri Woelfflin in commentario ad librum XXII composito disertis verbis ostendit; quod autem ad palaeographicam, quam vocant, probabilitatem Madvigii emendationis attinet, nemo ad hoc tempus verbum fecit, nisi quod auctor ipse l. c. illa *sescenta milia* ex paulo antecedentibus verbis *milibus septem* nata esse putavit. Nobis aliter iudicantibus paulo altius in hac quaestione repetere opus erit. Primum enim mirum est, quod non-

nullis locis in Puteaneo codice vox, quae est *milia* (s. *millia*), numero aut notato aut perscripto prave addita apparet, velut 22, 20, 11 *centum viginti millia obsides*, ib. 34, 5 *cum quattuor milia legionibus*; 24, 11, 9 *cum* XXX *milia dierum coctis cibariis*. Cuius rei explicationem inde petendam duco, quod in antiquissimis iam codicibus numerorum notis frequenti usu ex titulis propagato lineola transversa superponi solebat, eo nimirum consilio, ut numerorum notae, quae omnes fere litterarum formas habebant, a litteris ipsis orationis certius distinguerentur[1]) (cf. Liv. 24, 47, 13 P: $\overline{X}$ = *decem*; 25, 41, 1 $\overline{CCCC}$ = *trecenti*; 27, 6, 11 $\overline{V}$ = *quintum*), hac autem linea transversa nescio a quo tempore ad significandos numeros millenarios librarii utebantur, velut $\overline{XX}$ = *viginti milia*. Inde consentaneum est maximam in codd. confusionem oriri necesse fuisse et duplex quidem errandi genus, quo alias linea transversa vel potius vox *milia*, quam illa significabat, a librariis omittebatur (quod factum est in Put. 22, 33, 2. 60, 69, in Vind. 42, 51, 4. 11 cet.), alias prave addebatur in perscribendo numero, ne grammatica quidem forma, ut est mos tironum, ad continuam orationem accommodata, cuius rei testimonia sunt tria exempla supra posita[2]). Hoc idem ei loco, a quo hoc caput orsi sumus, accidisse persuasum habemus: quod in

---

1) Hanc consuetudinem ignorare videtur O. Riemann, qui cum Liv. 23, 38, 13 vulgetur *missa ducenta milia modium tritici et hordei centum*, in P autem legatur *hordei* $\overline{C}$, rescribi iubet ...*centum milia* (revue de phil. VI, 195) astipulante H. I. Muellero (Ztschr. f. d. Gymn. 1883, Jahresber. p. 345). Nihil certi ex illa linea ad huius loci scripturam concludi posse apparebit ex eis, quae infra exponentur.

2) Idem mendum semel accidisse video Cic. legg. 2, 23, 58 in codice, qui A notatur a Vahleno, ubi quod scriptum extat *in duodecim milia*, Halmio fucum fecit ita, ut *in duodecim tabulis*

archetypo codice antiquo more exaratum erat: *neque his* *DC* (= *sescentis*) *hostes obstitere*, librarius aliquis postea perscripsit falso explicata transversae lineolae nota, nominativo, ut assolet, casu *neque his sescenta milia hostes obstitere*, quod sine ullo emendandi conatu fideliter servavit praestantissimus codex Puteaneus, nisi quod *hiis* habet, quo etiam *iis* potest significari. Eadem forma *hiis* in Put. 21, 45, 1. 58, 11. 60, 4 cet. et sescenties in omnium saeculorum codicibus reperitur, in qua scriptura plerumque dubitare licet, utrum pronomen *is* adiecta aspiratione lateat (cf. supra p. 40 sq.) an pronomen *hic* vocali *i* per quendam iotacismum duplicata (cf. supra p. 22); evidenter tamen comparet pronomen *is* in scriptura *his* (= *is*), quae occurrit in Put. 22, 60, 1, in Vind. 44, 16, 9. 26, 8, alibi.

Duplici nomine locus, de quo agimus, notandus nobis videtur, et propter criticorum quorundam inconstantiam et propter codicis Puteanei fidem atque praestantiam. Primum enim quis non desiderat constantiam illam, quae in arte factitanda imprimis observari debet, in eorum criticorum ratione, qui cum tribus locis vocem *milia* abundantem nihil morati exsulare iubeant, quarto loco abicere dubitant. An ideo cunctantur, quod tum etiam traditum *sescenta* in *sescentis* mutare coguntur? Violentissima videlicet mutatio est! Itaque malunt codicum manifesto interpolatorum lectionem sequi aut etiam in novis reperiendis se torquere quam bonis aliorum inventis uti,

---

inde efficiendum putaret pro mero *in duodecim*, quod et Ciceronis sermoni aptissimum est et, si *in* $\overline{XII}$ scriptum erat in archetypo codice, errori quam maxime obnoxium erat. Contra nullo pacto intellegitur, qui *tabulis* in *milia* transire potuerit. Standum igitur erit in vulgata lectione *in duodecim*; v. Vahleni ad h. l. adnotationem.

velut nuperrime O. Riemann eiecto ut glossemate vocabulo *hostes*, quorum significatio abesse omnino nequit, *neque his sexcentis quadraginta milia obstitere* scribi iussit, tamquam propius ad codicis Put. scripturam accederet, quae falsa opinio effecit, ut ludicris commentis vexari locus nondum desierit. Ex altera quoque parte hic locus dignus est, qui notetur. Maximum enim mihi videtur esse documentum simplicitatis ac primitivae formae interpolationum, si quae insunt in antiquo codice Puteaneo. Haec simplicitas probatur voce *hostes*, quae, si ulla, genuina est, ita ut nullo pacto initium emendandi inde faciendum sit. Nam ** *hostium* (numerus ad hanc quaestionem nihil pertinet) qui mutant, quomodo errorem explicant? Putantne ex suo ingenio ** *milia hostium* librarium correxisse in ** *milia hostes*? Credat Iudaeus Apella. E contrario credibile videbitur librariorum ingenia recte aestimanti, sciolum, verba ** *milia hostes* si in exemplo suo invenisset, in ** *milia hostium* mutaturum fuisse, cum grammaticae rationi obstare ei viderentur: et factam videmus hanc interpolationem in cod. Colbertino, qui ex Puteaneo fluxit: *neque his sescenta milia hostium obstitere.* Quo initio postquam mutari coeptus est locus corruptus, error, ut fere fit, latius vagatus est, unde qualia monstra lectionum orta sint, apparebit inspicienti codices recentiores, cum quorum scribis hodie quoque sunt qui coniectando certent. Denique etiam defensor extitit huius lectionis diu vulgatae vir fortis et ineptissima quaeque libenter amplectens Alschefski, cum nos illius usus admonuit, quo permagnus numerus numero *sescenti* latine exprimi solet.

Supra p. 47 quod indicavi librarios notas nominativo casu saepius prave interpretatos esse, aliquot exemplis liceat adumbrare. In Vind. Liv. 42, 12, 8 et 9 *milia*

pro *milibus* legitur; priore loco vitium correxit J. Fr. Gronov, posteriore Vahlen; ib. 36, 9 *cum II milia equitum* in codice est pro *cum II milibus equitum*; cf. Cic. fam. 10, 11, 2 Med. *cum tria millia* pro *cum tribus milibus*. Ex huius vitii observatione Liv. 3, 13, 8 palimpsesto codici Veronensi quamvis praestantissimo minime tantum tribuere possum, quantum Mommsen, qui eius scripturam *unum vadem* *tria milia* *aeris obligaverunt* ut exquisitiorem praefert ceterorum codicum lectioni *u. v.* *tribus milibus* *aeris obligaverunt;* nam et nullo exemplo latine dicitur *obligare aliquem aliquam summam* et error in Veronensi admissus nimis levidensis est. In aliis quoque notis, maxime iis, quae magistratuum titulos significant, accidit, ut nominativo casu ab indoctis et sententiae securis librariis explicarentur, velut Liv. 22, 24, 14 in Put. est *magister* pro *magistri*, ib. 25, 12 et 27, 3 *magister* pro *magistro*, ib. 25, 8 pro *magistrum* (ut 8, 32, 2 in Med.): in archetypo sine dubio fuit nota *MAG.*, quae 28, 10, 1 in Put. extat; 27, 24, 3 *tribuni* = *tribunos* (*TR.*); 28, 28, 4 et 29, 12 codd. praeter Put. exhibent *tribunum milites secuti sunt* pro *tribunum militum s. s.* (*TR. MIL.*, quae sigla 22, 49, 16 in P est); 43, 3, 6 Vind. *patres conscripti* pro *patres conscriptos* (sigla *P. C.* 22, 59, 1 in P est); 44, 18, 8 *aedilis curulis* pro *aedilium curulium* (*AED. CVR.*); 26, 16, 9 Put. *senatus* pro *senatum* (*SEN.*); 42, 35, 3 Vind. *kal. Iuniae* pro *kalendis Iuniis* (*KAL. IVN.*). Quae cum ita sint, falso suspicor codices ex Puteaneo profectos Liv. 24, 10, 4 notam, quae in eo scripta extat *PR.*, perscripsisse *praetores* (verba sunt *praetores prioris anni Q. Mucius obtineret Sardiniam, M. Valerius . . . praeesset*): nos melius perscribere possumus illam notam quam antiqui librarii eiusmodi negotiis impares et perscribemus, quod sermo Livianus flagitat, *praetorum*.

Cuius genetivi usum constantem Livii ex his locis intelleges:

33, 39, 2 *decem legatorum P. Lentulus a Bargyliis, P. Villius et L. Terentius ab Thaso Lysimachiam petierunt;*

43, 15, 3 *consulum Cn. Servilio Italia, Q. Marcio Macedonia obvenit:* ibi *consulum* in Vindob. perscriptum legitur, sicut etiam

44, 17, 10 *consulum Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit.*

9, 27, 8 *consulum Sulpicius in dextro, Poetelius in laevo cornu consistunt,* ubi mallem improbasset Madvig veterum editionum lectionem *consules* propriumque potius Livii usum loquendi a codicibus servatum agnovisset.

22, 40, 6 *consulum prioris anni M. Atilium . . . miserunt, Geminum Servilium . . . praeficiunt:* nam sic bené correxit Crévier, quod in Put. leniter corruptum legitur *consultum,* unde manus sec. codd. Colbertini et Medicei *consulem,* recc. codd. *consulum tum* interpolaverunt.

---

Liv. 24, 1, 3, ubi Locrensium contra imminentem urbi obsidionem consilia enarrantur, *postremo ii modo relicti in urbe erant, qui reficere muros portas telaque in propugnacula congerere cogebantur* vulgo ab editoribus scribitur, nisi quod Hertz *postremo hoc modo ii modo relicti* cet. ex sua coniectura in textu posuit ea emendandi ratione usus, qua haud raro modum excedere mihi videtur, scilicet ea, quae nititur omissis per homoeoteleuton vocibus. In Puteaneo codice teste Gust. Beckero legitur *postremoobmodo* cet., *c* littera a manu secunda supra *b* posita, unde Mediceus codex *hoc modo,* ceteri codd. *hec modo, hi modo* similiaque exhibent. Pronomen *ii* in vulgata lectione valde frigere nemo non sentit, nec, si palaeographi-

cam rationem respicias, facile intellegitur, quomodo illud pronomen tritissimum in *ob* vel *oc* abire potuerit. Quare veri similius nobis semper visum est Locrensium in urbe relictorum numerum delitescere in corruptis litteris *oc:* nam hoc videtur in bono illo codice fuisse, quo usa manus secunda Puteanei multa optime correxit, quae coniectando inveniri vix poterant. Non nimium numerum fuisse docet vel adiecta vox *modo.* Suspicor in archetypo fuisse scriptum numerum *DC* (i. e. *sescenti*) eumque litteris *O* et *D* in maiuscula scriptura solito more (v. infra p. 103) confusis in *OC* abisse. Numerorum notae, quibus, ut a litteris distinguerentur, frequenti nec vero constanti usu lineola transversa in codd. superponebatur, saepius a librariis perperam litterae habitae orationem turbarunt. En exempla eius vitii: Liv. 27, 28, 11 in Put. est *de* pro *DC* = *sexcenti* idemque vitium Sen. rh. p. 11, 26 (ed. Burs.) sustulit Ritschl codicum lectionem insanam *de operibus caelum meruit* speciosissime emendans *sexcentis operibus* cet. Alibi numerus *DC* propter *A* et *D* litterarum in unciali scriptura similitudinem (v. infra p. 97) abiit in *ac*, ut Liv. 3, 62, 8. 42, 60, 1. 65, 3 cet., quod deinde in *hac*, tum in *haec* propter *ad* praepositionem corruptum effecit, ut 21, 47, 3 in Put. legatur *ad* | *haec* pro *ad DC*, cuius numeri a Gronovio eruti fidem praestat locus Polybianus 3, 66, 4. Liv. 23, 49, 11 in P est *signavit* | *elephantos* pro *signa VII elephantos;* ib. § 13 *supraticapta* pro *supra II* (i. e. *duo*) *capta;* 24, 34, 4 et 30, 10, 20 *ex* pro *LX* (= *sexaginta*); 23, 34, 13. 37, 12. 46, 4 *vel* pro $\overline{V}$ (= *quinque milia*); 22, 20, 2 *ex* . *XXX* pro *e XXXX*, h. e. *e quadraginta*, quem numerum a Glareano repositum flagitat c. 19, 2; 22, 1, 17 *idvirorum* pro *Xvirorum* = *decemvirorum;* 41, 12, 8 Vind. habet *plusditaut* pro *plus DCC* (= *septingentis*) *aut;*

45, 15, 9 *bimensus* pro *VI* (= *sex*) *mensum*, quod *vimensum* intellectum solita litterarum *b* et *v* permutatione in *bimensum* facile abiit; prorsus similiter Vell. 2, 31, 4 in apogr. Amerb. est *biennium* pro *sexennium* (*VIennium*) seu, quod propius historiam accedit, *septennium* (*VIIENNIVM*, *VIENNIVM*, *BIENNIVM*); contrario mendo Liv. 28, 28, 4 codex Vaticanus exhibet *sex. bellium* pro *Vibellium*.

Liv. 10, 31, 4 Leidensis sec. lectio *coctis* pro *trecentis* orta videtur ex abbreviata scriptura CCC[tis].

Cic. Phil. 3, 15, 39 Vaticani lectionem *legatinusa* pro *legio quarta usa* non ex *legio . IIII . usa*, quod Halmio visum est, conflatam esse puto, sed ex *LEG . IV . VSA* unde *leg.* perscripsit *legati*, numerum *IV* intellexit *N* litteram librarius[1]); legg. 1, 21, 55 *ex is* (s. *his*) *res* pro *e XII tres;* cf. Vahlen, Ztschr. f. öst. Gymn. 1860 p. 30.

Cic. Att. 15, 11, 4 Med. *adivi* praebet pro *ad quattuor* (*ad IIII*); 5, 3, 2 et 8, 16, 2 *illi* pro *quattuor* (*IIII*); contrario vitio Caes. b. c. 3, 7, 2 in codd. legitur *IIII* i. e. *quattuor* pro *illi*.

Tac. ann. 6, 31 Baiter bene expedivit Medicei cod. lectionem *icyro* scribendo *primum Cyro* (*I . CYRO*): quod sequitur adverbium *post*, oppositionem a Baitero restitutam flagitat, quare eis nequeo assentiri, qui merum *Cyro* abiecta nec explicata *i* littera edunt.

ib. hist. 2, 100 in Mediceo cod. scriptum extat *in quattuor* pro *primae*, *quartae*, quae notata videntur fuisse in archetypo sic: $\bar{I}$ . $\overline{IV}$.

Vell. 2, 10, 2 in apogr. Amerb. habetur *uti ante* pro *VII* (= *septem*) *ante*.

1) Simili errore Liv. 27, 9, 6 in P legitur *uno* pro *vivo* (*VIVO*).

Denique Liv. 23, 13, 8 summam probabilitatem habet, quod Weissenborn primus suspicatus est in codicum lectione non uno nomine suspecta *dictatorque* latere numerum *D* (i. e. *quingenta*) ad antecedentia *argenti talenta* pertinentem atque una nomen ducis Carthaginiensis. Hanc suspicionem si excipias, non praeter veri speciem Madvig legendum proposuit *ut ..... mitterentur et quadraginta elephanti et argenti talenta D, Carthaloque cum Magone in Hispaniam praemissus est:* si omissa una syllaba scriptum erat in archetypo codice *D. CARTOQ.*, facile inde nasci potuit *dicatorque* s. *dictatorque.* In codicum lectione (*.... argenti talenta dictatorque .... praemissus est*) offensioni maximae est *dictator*, quod nomen proprie Romanum Livius nusquam alibi ad Carthaginiensium rem militarem transtulit[1]). Accedit, quod et ducis nomen haud dubie non ita mediocris exspectatur et talentorum numerus abesse omnino nequit: *quinquaginta* autem talenta hic in senatus consulto edi, postea vero (c. 32, 5) *mille* mitti mirum non est, immo probabile; cf. quae disputavit de ea re H. I. Mueller Zschr. f. d. Gymn. 1882, Jahresber. p. 321.

Multo rarius litteras numerorum loco a librariis habitas esse, non est quod miremur. Pauca igitur praeter ea, quae contrarii vitii exemplis supra iam immiscui, exempla in promptu habeo, velut Cic. fam. 15, 4, 9 Med. *sex* (*VI*) pro *vi;* ib. Phil. 10, 7, 15 Vat. *duo* (*II*) pro *ii;* Liv. 33, 27, 2 Mog. *quingentos quinquaginta* (= *L*) *Ster-*

1) Appellatur *dictator* is, qui summum apud Carthaginienses imperium obtinet, in columna rostrata C. I. L. I, 195 l. 10, a Catone teste Gellio n. A. 10, 24, 7 (Hannibal dictator, Maharbal magister equitum), a Trogo 19, 1, 7. Haec tria nec plura testimonia fidem habent; nam locum, qui est Frontini 2, 1, 4, propter incertam scripturam seponere melius est.

*tinius* pro *quingentos L. Stertinius*, planeque eodem modo erratum videmus Vell. 2, 102, 4 *ante annum ferme quinquagesimum* (= *L*) *Caesar* pro *ante annum ferme L. Caesar*; ib. 113, 1 pro eo, quod in apogr. Amerb. est *XIIII sed*, scribendum esse *decem* (*X*) *alis* et Laurent omnibus editoribus merito probavit nec dubium est, quin in archetypo fuerit *XALISED*, vocabulo *sed* in scriptura continua interpolato, de qua re infra p. 59 n. 1 dicetur.

## III. De duplicibus, quas vocant, lectionibus.

Liv. 23, 9, 11 postquam Pacuvius Calavius e Campanis principibus filium, qui Hannibalem inter epulas interficere constituerat, ab nefando consilio revocavit, tum iuvenis patri: *tuam doleo vicem, cui ter proditae patriae sustinendum est crimen, semel cum defectionis ab Romanis, iterum cum pacis cum Hannibale fuisti auctor, tertio hodie, cum restituendae Romanis Capuae mora atque impedimentum es. Cum defectionis ab Romanis* vulgo hodie scribitur ex I. Fr. Gronovii coniectura; in Puteaneo codice manu prima haec leguntur: *cumdefectioneinissaabromanis*, e quibus verbis misere corruptis vett. edd. effecerunt *cum defectionem inisti ab Romanis.* Hanc veterum editionum lectionem revocare nuper studuit Harant Gallus in adnot. et emend. ad T. Livium p. 93, non fidem solum id iubere arbitratus, sed etiam sermonis concinnitatem, ut tres periodi partes suum quaeque verbum habeant, non duae idem. Nequiquam operam sumpsisse virum doctum puto. Primum enim valde vereor, ut *defectionem inire* recte latine dicatur: *defectionem moliri, facere, parare, temptare* s. *consilium defectionis* (*de defectione*) *inire* dicitur, *defectionem inire* nusquam me legere memini. Deinde, quaeso, *defectionis ab Romanis* (*auctor*) et *pacis cum Hannibale*[1]) (*auctor*) nonne concinnitatis satis

1) In hoc genere dicendi parum observato multus est Livius atque interdum iusto durior. Haec sunt exempla eius usus: 6,

est? Postremo de fide, ad quam Harant provocat, equidem ita iudico, ut fidelius duxerim vestigia duplicis scripturae in Puteaneo codice servata agnoscere. Hanc autem hoc fere modo natam puto: *cum defectione* pro *cum defectionis* in archetypo scriptum erat, tamquam *cum* praepositio esset, corrector autem quidam veram terminationem *nis* supra *ne* posuerat (*defectio*$\overset{\textit{nis}}{\textit{ne}}$), quae in ordinem verborum intra lineam recepta (*defectionenis*) effecit, ut error latius vagaretur. Haud raro accidit, ut *cum* coniunctio praepositionis loco accepta[1]) nasutos librarios ad mutandam orationem induceret. Sic Liv. 22, 13, 8 in Put. legitur *cum iis* pro *cum is*, ib. 16, 2 *cum Romanis* pro *cum Romani*; 25, 37, 1 *cum delectis* pro *cum delecti*; 29, 26, 4 *cum quo* pro *cum quod*: 42, 66, 8 *cum*

---

21, 7 *auctores defectionis ab Romanis*, 25, 23, 4 *inter defectionem ab Rom.*, 26, 30, 2 *propter defectionem ab Romanis ad Hannibalem*, ib. 5, 2. 29, 8, 6; 8, 23, 1 *spes pacis cum Samnitibus*, 23, 11, 7 *nuntius victoriae ad Cannas*, ib. 13, 6 *simultas cum familia Barcina*, 25, 3, 3 *bellum cum Hannibale*, 44, 30, 11 *foedus inter Persea et Gentium*, 2, 5, 2 *spem in perpetuum cum iis pacis*, 42, 12, 5 *cum Perseo foedus*, 24, 6, 1 *vinculum cum Romanis societatis*. Tres extremi maxime loci docere possunt, quam temere loco, qui est 42, 43, 9 *causam cum Perseo societatis*, Crévier *initae* et nuper Harant l. c. p. 247 *iunctae* post *causam* inserere voluerint.

1) Unde grave vitium traxit oratio Caes. b. g. 2, 22, 1 in codicibus *cum diversis legionibus aliae alia in parte hostibus resisterent* exhibentibus pro *cum diversae legiones aliae* cet., quod correctum iam a Ciacconio diu indigne spretum est, donec nuper Madvig in adv. crit. II, 250 (Whittium auctorem coniecturae laudat), Dittenberger, Prammer (Ztschr. f. öst. Gymn. 1882 p. 285) egregiam coniecturam in honorem meritum rursus adduxerunt. Loquendi genus illustratur permultis scriptorum historicorum locis, velut Liv. 5, 8, 9 *ut diversae legiones aliae adversus Capenatem, aliae contra eruptionem . . . pugnarent*; 9, 2, 2 *pecora diversos alium alibi . . . . pascere iubet*; 4, 39, 4. Sall. Iug. 46, 4. 101, 2.

*regio agmine* pro *cum r. agmini;* 45, 27, 2 *cum marcio consule* pro *cum Marcio consuli;* 25, 39, 15 manus sec. Puteanei *cum magone* effecit ex genuino *cum Mago*; Fronto p. 230 in Bob. est *cum aliis cenarent* pro *cum alii cenarent;* Varr. l. l. 8, 39 codd. *cum simili laetum* pro *cum simile tum* (fuitne in archetypo: *similitum*?). Cui simile est, quod adverbia *post* et *contra* prave praepositiones intellecta librarios ad mutandum casum substantivi insequentis impulerunt: Liv. 44, 28, 6 *nonpostdiem* = *nono post die,* Tac. ann. 11, 22 *post legem Sullae* = *post lege Sullae,* Flor. p. 118, 14 (ed. Jahn) Bamb. *ante pactionem* = *ante pactione,* Tac. Agr. 11 codd. *posita contra Hispaniam* = *posita c. Hispania.* Hae sunt manifestae librariorum interpolationes intempestivo corrigendi studio ortae, aeque atque *uti iureiurando* pro *uti iusiurandum* (*uti* = *ut*) positum in Vindobonensi Liv. 41, 15, 10, cum *utendi* verbo intellecto scriba soloecismum, qui videbatur, corrigere vellet: nam 'librarii', ut ait Hieronymus, 'scribunt, non quod inveniunt, sed quod intellegunt'.

Sed ut tandem ad inceptum perveniamus a loco illo Liviano, quem duplici lectione depravatum esse contendimus atque probare conati sumus, totum, quod iam praecepto illo loco adumbraturi sumus, corruptelae genus diu neglectum diligentius novissimo demum tempore critici attenderunt, imprimis O. Jahn[1]) in Flori codicibus, Madvig[2]) et Woelfflin[3]) in Livii, C. F. W. Müller[4]) in Ciceronis libris mss. Vertitur autem in eo, quod saepius

1) Praef. ed. Flori p. XXI sqq.

2) Emend. Liv. p. 17² sqq. 32², alibi.

3) 'Livianische Kritik und livianischer Sprachgebrauch' (Berlin 1864) p. 6. 11 et 'Antiochus von Syrakus' cet. p. 97.

4) Nov. ann. phil. vol. LXXXIX p. 181 sq.

factum est in veteribus codd., ut librarii singulas litteras syllabasve emendandi causa in archetypo codice a correctore sive ex alio codice sive ex ipsius ingenio super versum scriptas ita in verborum ordinem reciperent, ut simul litteras syllabasve liturae signo fortasse saepius obscurato vel omnino nullo notatas male retinerent; unde quot vitia in textus scriptorum latinorum redundaverint, vix dici potest. Atque in universum quidem iure statuitur a viris doctis, qui in hanc vitii speciem diligentius inquisiverunt, librarios superscripta secundo loco exarare solitos esse, quam normam eis, quae insequuntur, exemplis comprobari invenies, quippe ubi prior lectio manifesto mendo laboret. Eius rei promam ex Puteaneo et Vindobonensi codd. Livianis exempla, quae mihi satis certa visa sunt, in quibus illud me observasse ab initio moneo, ut primae manus lectiones exscriberem nulla ceterarum ratione habita, quae pravas litteras saepius deleverunt. Ut a lenioribus initium faciam, Liv. 21,21,10 in P est *galliams* pro *Gallias*, unde apparet in archetypo codice scriptum fuisse *galliam*$^{s}$, priore lectione *galliam* corrupta ex antecedentis vocis *hispaniam* exitu. Eodem modo legitur 22, 5, 3 *ordinemsed* = *ordines et* (*ordinemet*$^{s}$)[1], ib. 31, 1 *serviliums* = *Servilius* (*servilium*$^{s}$), 24, 9, 9 *exercitusm*

---

1) Quod *ordinemset* scriptum cum *ordinem* | *set* intellegeretur, interpolatio orta est frequentissima, qua inculcatur *sed* forma; cf. Liv. 22, 3, 5 Put. *proniores* | *sed* = *pronior esset*, Tac. ann. 6, 2 Med. *alio sed honoribus* = *alios et honoribus*, Cic. fam. 6, 14, 2 Med. *cum fratre sed* = *cum fratres et*, imprimis vero Liv. 26, 8, 10 Put. *sed* | *iam* pro nomine proprio *Setiam*. Similiter *quod* pro *quot* interpolatum est in continua scriptura prava verborum distinctione Liv. 23, 42, 3 in Put. *quod* | *uini* | *talia* pro *quo tu in Italia* et Tac. ann. 16, 22 in Med. *quod ibi* pro *quo tibi*.

= *exercitum*, ib. 15, 1 *copiams* = *copias* (*copia$^{s}$m*), 25, 13, 7 *curasm* = *curam* (*cura$^{m}$s* : antecedit *bestias*); 41, 27, 5 in Vind. *substruendams* = *substruendas* (*substruenda$^{s}$m*: prior lectio *substruendam* prava ad antec. substantivum *urbem* adstructione orta est).

21, 58, 3 *primao* = *primo* (*prim$^{o}$a*: antecedit *ora*).

22, 31, 4 *romaem* = *Romam* (*romae*)[1].

ib. 45, 6 *laeviom* = *laevom* (*laevi*).

23, 41, 3 *hostius* = *Hostus*[2]) (*hostis*).

24, 26, 16 *nequiaquam* = *nequaquam* (*nequiquam*: 29, 3, 11 *nequiquam* pro *nequaquam* in P legitur).

24, 34, 10 *indligata* = *inligata* (*indigata*).

25, 31, 2 *petenteis* = *petentis* (*petentes*).

28, 2, 4 *ducemnti* = *ducenti* (*ducemti*), sicut 29, 10, 3 *tamnta* = *tanta* (*tamta*), 44, 27, 2 *indignamntium* = *indignantium* (*indignamtium*), quae omnia originem habent ab eo more, quo *m* pro *n* ante dentales exarabatur, v. supra p. 24 sqq.

41, 19, 2 *ligureibus* et 45, 36, 4 *victoreibus* = *Liguribus* — *victoribus*, quae scripta erant in archet. *ligurebus* et *victorebus* prisco et vulgari usu; cf. Schuchardt l. c. II, 1 et III, 163, ubi multa eius scripturae testimonia collecta invenies. Originem corruptelae *ligureibus* non perspexit Gitlbauer de cod. Liv. vetust. Vind. p. 97.

41, 20, 12 *familiarie* = *familiare* (*familiar$^{e}$i*) et

1) Spatii lucrandi causa hic et in seqq. plerumque non superpositae sunt intra uncos litterae, quae olim in codd. emendandi gratia supra lineam scriptae fuisse indicandae sunt. Quae quales fuerint singulis locis, non difficile cognoscitur ex codicis lectione in principio posita.

2) Hanc nominis formam tuetur codex Coloniensis Sil. Ital. 12, 347 *hostus*, ib. 418 *hosto* exhibens.

41, 24, 19 *legationie* — *legatione* (*legation$\overset{e}{i}$*).

42, 2, 7 *anltera* — *altera* (*antera*).

ib. 13, 12 *utei* — *uti* (*ute;* cf. infra p. 82 *alibe*).

ib. 33, 6 *adsignarei* — *adsignari* (*adsignare*).

ib. 39, 5 *phfilius* — *filius:* in archet. erat scriptura *philius*, de qua v. Schuchardt l. c. I, 306.

ib. 42, 1 *sacrificandai* — *sacrificandi:* in archet. erat *sacrificanda* ad seq. vocis *causa* terminationem accommodatum.

44, 16, 8 *quanm* — *quam* (*qua$\overset{m}{n}$*).

ib. 27, 1 *temnere* — *tenere* (*temere*).

45, 23, 5 *nosn* — *non* (*nos*).

Graviora haec sunt exempla:

Liv. 21, 50, 3 *effusoes* pro *effuse*: in archetypo erat *effus$\overset{e}{o}$s*, unde *e* interiectum est a librario, quod postpositum apparet in simili corruptela 24, 21, 3 *illose* pro *ille*, ubi *illos* vitium traxit ex antecedentis vocis *mos* exitu.

22, 16, 4 *fortunaminasaxa* — *Formiana saxa* (*for$\overset{mina}{tuna}$saxa*).

ib. 23, 6 *romanosrum* — *Romanorum* (*Romanos*[rum] : *romanos* prave casu assimilatum erat ad antec. *duces*), quae eadem duplex lectio extat in Vind. 42, 63, 12.

ib. 30, 9 *eamfamam* — *famam*[1]): frequenti litterarum *E* et *F* in maiuscula scriptura confusione prius *eamam* exaratum erat, cf. infra p. 104 sq.

---

1) Iure *eam* recentiores editores ex anonymi docti coniectura suadente insuper Madvigio abiecerunt. Pronomen et pravam collocationem post *terribilem* habet nec est, quo referatur: neque enim antea mentio facta est de terribili quadam fama. Ceterum minus commode Frigell explicat illud *eam* ut praeoccupatum ex paulo post sequenti voce *tandem*.

23, 22, 11 *eaexapulia* — *ex Apulia* (v. infra p. 96 sq. de *ex* et *ea* confusis).

ib. 23, 2 *sesine* — *sine:* in archet. sine dubio *sene* pro *sine* frequenti pronuntiationis vitio, quo *e* et *i* permutantur, scriptum fuit; cf. C. I. L. IX, 2969. 5867 *sene*, plura v. apud Schuchardtium l. c. II, 26. III, 173.

ib. 32, 4 *fieruntri* — *fieri:* in archet. fuit *fierunt* prave praecepta ex sequenti verbo *iusserunt* terminatione eodem vitio, quo in antec. cap. § 13 *cui . . . cum tonuisset, augures vitio creatum viderunt pronuntiaverunt* in Put. legitur pro . . . *videri pronuntiaverunt*[1]).

ib. 41, 14 *antiquamrum* — *antiquarum* (*antiquam*), ut 4, 17, 3 Ver. *tesseramrum* — *tesserarum* (*tesseram*).

22, 60, 11 *hilhirpini* — *hirpini:* exaratum prius erat *hilpini* solito pronuntiandi, non legendi vitio, quo *l* et *r* permutantur (cf. ital. *pellegrino*, francogall. *pèlerin*, C. I. L. III, 4222 *pelegrinus*). Cuius rei pauca ex Put. et Vind. exempla ponam: Liv. 21, 63, 4 *fluctus* — *fructus;* 25, 4, 9 *locaverunt* — *rogaverunt*, ib. 6, 16 *emelendi* — *emerendi;* 26, 39, 12 *gradiis* — *glaliis*, 27, 8, 5 *flatri* — *fratri*, ib. 11, 8 *fluendum* — *fruendum*, ib. 33, 2 *praeflegit* — *praefregit;* 28, 9, 17 *militalibus* — *militaribus;* 29, 2, 13 *fructuantia* — *fluctuantia;* 30, 12, 22 *legiis* — *regiis;* — 43, 21, 5 *creva* — *Cleva;* 44, 2, 6 *consularis* — *consul aliis*, ib. 19, 13 *inter | leges* — *interreges*, ib. 31, 11 *farsa* — *falsa;* 45, 26, 3 *infuriis* — *infulis*, ib. 29, 4 *legibus* — *regibus* cet. Cf. de hac confusione Schuchardt l. c. I, 136 et Ribbeck proll. ad Verg. p. 247.

1) Sic recte vulgo edi puto ex codd. recc. lectione. Harant l. c. p. 97 pravo ut saepius studio ductus propius ad Puteanei scripturam accedendi suasit *videri eum pronunt.*, quod iam in codice Pal. 2 interpolatum esse video. Pronomen *eum* non desiderari docet locus gemellus Liv. 8, 15, 6 *religio inde iniecta de dictatore, et cum augures vitio creatum videri dixissent* cet.

24, 8, 6 *tehosti* — *hosti*[1]) ($\overset{\textit{ho}}{\textit{testi}}$).

ib. 44, 1 *cumque* — *quem* ($\overset{\textit{que}}{\textit{cum}}$).

25, 1, 9 *exconcessae* — *concessae: excessae* vitium traxit ab seq. *exercebant*.

ib. 6, 10 *omnemis* — *omnis: omnem* prave ad praecedentem accusativum *Aliam* accomodatum erat.

ib. 32, 2 *isid* — *id* (*is*).

26, 20, 11 *maxritimo* — *maritimo* ($\overset{\textit{rit}}{\textit{maximo}}$).

ib. 31, 3 *inoindignatur* — *indignatur:* in archet. exaratum erat *inoignatur* crebra litterarum *O* et *D* confusione, de qua v. infra p. 103 sq.

ib. 49, 10 *quiaestori* (— *quaestori*) natum puto ex $\overset{\textit{aestori}}{\textit{qui}}$ : *Q.* sigla, qua praeter *que* et *Quintus* etiam *quaestor* significabatur, prave olim explicata erat *qui;* cf. Cic. Phil. 9, 7, 6, ubi codd. praeter praestantissimum Vaticanum *qui urbis* pro *quaestores urbis* exhibent.

27, 30, 1 *labiamiam* — *Lamiam* (*labiam*).

28, 35, 8 *numidasa* — *Numida:* prior lectio *numidas* nata erat ex seq. *gratias.*

29, 8, 8 *oppugnationib.emparatis* — *oppugnationem paratis,* voce *oppugnationibus* casu accomodata ad sequens participium *paratis.*

ib. 37, 10 *Claudiunium* — *Claudium:* in archet. fuit *claudiuni* litteris *ni* et *m* permutatis; v. infra p. 113. —

41, 10, 10 *inluridebant* — *inridebant* (*inludebant*); vitium in verbo *inludebant* admissum esse probat et vox a Livii scriptis aliena et erroris propter sequentem vocem

---

1) Hoc vulgatur. Novissimo editori Zingerleo Luchs persuasit, ut reponeret *certe hosti,* quod iam Weissenbornio in mentem venisse video. Nec vero per se requiritur illa notio *certe* a Luchsio in orationem illata.

*ludibriis* proclivitas: hoc enim vitio, quo librarius oculis festinantibus ex vocabulis iam descriptis aut mox describendis pravas litteras syllabasve veris substituit, nullum tritius est in Vindobonensi codice, quamquam Gitlbauer in libello saepius iam a nobis citato totum errandi genus nec hic nec alibi perspexit, cum ex compendiis syllabarum nescio quibus in archetypo scriptis posteaque perverse expletis (*ĩndebant, inludebant*) errorem natum statueret.

ib. 21, 6 *quibusdem* — *quidem* (*quibus:* sequitur *funeribus*).

42, 4, 5 *geruerentur* — *gererentur* (*geruntur*)*:* Gitlbauer l. c. p. 70 ex archetypi compendiosa scriptura *gerũr* non intellecta mendi originem repetit.

42, 5, 12 *utubi* — *ubi* (*uti*).

ib. 8, 7 *qui quod eius reciperari possit* — *quod eius reciperari p.* ($\overset{\textit{quo}}{\textit{quid}}$)*:* hoc enim cum Weissenbornio scribendum censeo, quod etiam locutioni Livianae magis convenit, quam quae inde a Grynaeo vulgatur lectio (*quicquid eius r. p.*); cf. 38, 54, 4 *quod eius* („soviel davon") ... *relatum non est;* ib. 23, 10. 5, 25, 7. 31, 4, 2. 39, 7, 5. 45, 7. Eadem pervagata vocum *quid* et *quod* confusione ortum est in Vind. 45, 25, 9 *si quod id opus esset* pro *si quid opus esset* ($\overset{\textit{id}}{\textit{quod}}$), quae est probabilis Vahleni coniectura.

ib. 13, 10 *occursumrum* — *occursurum* (*occursum*).

ib. 39, 7 *hippanian* — *Hippian* (*hippan*).

ib. 50, 2 *adaliud* — *aliud* (*adiud*).

ib. 53, 9 *conrepulsus* — *repulsus:* prior lectio *conpulsus* vitium traxit ex initio antecedentis vocis *concursus*. Sic enim saepius propinquae praepositiones aliis nocuerunt in Vind.; cf. ib. 66, 9 *contentus modico con-*

*cessu* — *cont. mod. successu*; 44, 12, 8 *adpugnare adorti* — *oppugnare adorti*, ib. 13, 4 *ex ducibus ex delectis* — *ex d. cum delectis*, ib. 38, 5 *inplicatam intuentis* — *explicatam int.*; 45, 29, 8 *obicitur obiecta* — *obicitur adiecta*; 43, 20, 1 *per Illyrici solitudines, quas per industria ... fecerant* — *per I. s. q. de industria*[1]) cet.

ib. 56, 3 *oaudisse* — *audisse*: in priore scriptura *odisse* deprehenditur vulgaris diphthongi *au* depravatio, quae nota est ex plebeiis, qualia sunt *Clodius* — *Claudius*, *copo* — *caupo*, *plodere* — *plaudere* cet.; cf. 41, 21, 12. 27, 10 *oximi* — *auximi*. V. Schuchardt l. c. II, 302 sq., Ribbeck proll. ad Verg. p. 436.

ib. 59, 2 *quidam* — *quam* (*quid*), ut 43, 18, 6 *quodam* — *quam* (*quod*).

43, 11, 1 *cumconperta* — *conperta*, quod prius scriptum erat *cumperta* vulgari medii aevi more. Cf. 44, 6, 12 *cummeatibus* — *commeatibus*, ib. 35, 12 *cumminus* — *comminus*; 26, 40, 1 *cumponere* — *componere*; 28, 39, 21 *cumiter* — *comiter*; Ter. Hec. 1, 2, 56 Bemb. *cumloqui* — *conloqui*; Cic. Att. 13, 38, 1 Med. *cum motum* — *commotum*, 14, 10, 2 *cum letanti* — *coniectanti* (in arch. fuit *cumiectanti* s. *cumlectanti*), 16, 5, 4 *cum duce reputabis* — *conducere putabis*; Liv. 28, 9, 11 λ apud Luchsium *cum lege* — *conlegae*; 29, 37, 17 γ *cum sensu* — *consensu*; Prop. 3, 6, 39 codd. *cum simili* — *consimili*, 1, 6, 15 Neap. *cum vitia* — *convicia*. Contrario mendo Liv. 22, 29, 10 in Put. legitur *contulerim* pro *cum tulerim*; 23, 42, 5 *conploratum* — *cum ploratum*; 29, 33, 10 *commodico* — *cum modico*; Ter. Eun. 522 in Bemb. *conperit* — *cum perit*, ib. 574 *quaconcupiebam* — *quacum cupiebam*; Cic. fam.

1) Hoc vulgo editur, potest tamen etiam *ex industria* subesse, quod Livius posuit 1, 9, 6. 56, 8. 25, 15, 9. 26, 51, 11.

2, 3, 1 in Med. *convenisses* — *cum venisses;* Prop. 4, 1, 141 in codd. *confixum* — *cum fixum*, 2, 22, 31 in Neap. *consurgeret* — *cum surgeret;* Tac. ann. 1, 40 in Med. *conflatu* — *cum flatu;* Flor. p. 55, 14 (ed. Jahn) *confossa* — *cum fossa*. De hac confusione, innumerabilium mendorum parente, v. Lachmann ad Lucr. p. 71 et Schuchardt l. c. II, 127, qui ex titulis chartis codicibusque medii aevi multa exempla congessit.

44, 5, 7 *excesspisset* — *excepisset:* prius scriptum erat *excessisset*. Gitlbauer l. c. p. 71 ex compendiosa, quam finxit, scriptura *excēsset* errorem repetit.

ib. 20, 1 *vinisi* — *nisi* (*visi*).

ib. 22, 4 in verbis codicis *adfirmare pro certo habeo audeo* latent duae diversae lectiones *habeo* et *audeo*, quarum posteriorem genuinam esse Madvig em. Liv. p. 690[2] perspexit. Recte dicitur *pro certo habeo*, recte *pro certo adfirmare audeo*, utrumque mixtum nihil est; cf. 4, 55, 8 et 10, 7, 8 *pro certo habere;* 23, 17, 7 *satis pro certo habere;* — 3, 23, 7 *certum adfirmare . . . non ausim;* 22, 36, 1 *ut vix quidquam satis certum adfirmare ausus sim;* 23, 16, 15 *vix ausim adfirmare;* 43, 1, 8 *audere adfirmare;* 1, 3, 2 et 27, 1, 13 *quis pro certo adfirmet;* Tac. ann. 1, 81 *vix quicquam firmare ausim.*

ib. 27, 12 *exedictovicto* — *ex se victo: ex edicto* natum videtur ex scriptura *exeuicto* pro *ex se victo;* cf. supra p. 38 sq.

ib. § 13 *imoignotis* — *ignotis* (*imotis*).

ib. 29, 6 *sesimul* — *simul:* prius exaratum fuisse puto *semul* (— *simul*), quae forma e. g. in Pal. Verg. Aen. 11, 412. 418, in Bob. Frontonis p. 154 (ed. Naber) deprehenditur; C. I. L. I, 1175 *semol* habemus. Cf. Schuchardt l. c. II, 20.

capitis
45, 10, 14 *facilis capitis* — *capitis* (*facilis:* primitus nescio an scriptum fuerit *facitis* vitio illato a librario ex antecedentis verbi *fecisse* memoria.

ib. 16, 5 *minervaio* — *Minervio* (*minerva*).

ib. 23, 14 *propiniores* — *proniores* (*propiores*).

ib. 28, 6 *neaetolorum* — *Aetolorum:* primitiva scriptura *netolorum* ex *A* et *N* litterarum confusione orta videtur (cf. 26, 3, 4 Put. *commentus* — *commeatus*, 27, 30, 11 *nudiusre* — *audivere*). Supersedere igitur possumus emendatione Harantii *sordidatae turbae* (cod. *sordidata turba*) *Aetolorum occurrit*[1]) conicientis.

ib. 29, 1 *macedonisum* — *Macedonum* (*macedonis*).

ib. 26, 15 *inillyrico* — *Illyrico*, quod olim non insolito more scriptum fuisse videtur *inlyrico*, ut in Vind. 43, 1, 7. 9, 6 (ter). 44, 23, 7 cet.[2]) Cum qua mira dissimilationis specie, ut hoc in transcursu absolvam, comparari possunt similia haec, quae notavi: *conlatinus* — *Collatinus* in Naz. cod. Flori p. 12, 5 (ed. Jahn), *conlina* — *Collina* in Ver. rescr. Livii 4, 21, 8, *adtalus* — *Attalus* in Vind. Livii 42, 55, 7 et in Naz. Flori p. 80, 20, *adruntius* — *Arruntius* in apogr. Amerb. Vellei 2, 85, 1,

---

1) Ceterum iure criticos offendit tempus perfectum *revertit* in hac sententia: *peragrata Graecia* ... *Demetriadem cum revertit, in itinere sordidata turba Aetolorum occurrit.* Locus varie tentatus (I. Fr. Gronov suasit *cum revertisset*, Madvig *cum repeteret*, Seyffert *revertenti*, H. I. Mueller nuper *cum reverteretur*) certam correctionem nondum invenit. Nobis simplicissima medicina verba *cum revertit* transponi videntur, ut haec orationis forma evadat: *peragrata Graecia* . . . *Demetriadem revertit, cum in itinere sordidata t. A. occurrit. Cum* coniunctionem similiter posuit Livius 37, 29, 1 et 4, 32, 1; cf. Weissenborn ad 24, 29, 1.

2) Cf. Gloss. Bern. apud Hagenum l. c. p. 48 *in liricos sinus*, h. e. *Illyricos sinus*.

*adlobrus* = *Allobrux* in glossa[1]) Bern. in Hageni libri inscripto 'gradus ad criticen' p. 18, denique quod in glossariis frequenter legitur *conlibium* pro *collybium* (ex graeco *κόλλυβος*) adiuvante perverso veriloquio[2]) scriptum.

ib. 39, 13 *auctoreseruntuiogalba* pro *auctore Servio* (*Ser.*) *Galba* manifesto ortum est, cum primum perperam explicata esset nota *Ser.*, deinde correctio supra lineam addita *serunt* (*uio* supra). Hanc vitii originem esse nec plus latere quam *Servio Galba* omnes critici intellexerunt praeter Harantium, qui intempestivo ut alibi quoque studio vestigia syllabarum premendi ductus l. c. p. 307 *Servio illo Galba* inesse in scriptura codicis censet. Notarum praenominum prava interpretatio a librariis profecta multa habet exempla vel in eodem Vindobonensi, ut 41, 28, 1 *aput* | *claudi* = *Ap. Claudi* (idem accidit praenomini *Ap.* in Med. Cic. fam. 3, 7, 4. 8, 3. 9, 1 cet.; cf. ib. 4, 12, 2 *apud majio cilone* = *a P. Magio Cilone*), 45, 10, 10 *cum decimi* et 13, 8 *cum papirio* = *C. Decimi* — *C. Papirio*, 42, 22, 5 *postquam fluvium* = *post Q. Fulvium*, ut omittam *que* pro *Quinti* (*Q.*) praenomine sescenties in omnium aetatum codicibus obvium: 41, 14, 4. 7. 42, 42, 4. 7 (*quae* = *que* = *Q.*). 43, 4, 11. 16, 2 cet., 21, 63, 3. 22, 10, 10. 24, 12. 24, 9, 4. 7 cet., Tac. ann. 2, 37. 48. 3, 57. 4, 61 (*quae*), Cic. Att. 15, 2, 2. 4, 1. 16, 4, 1 cet. Ceterum ex his aliisque falsis notarum explicationibus nihil omnino certi in notarum gemellarum antiquum usum, quo librarius deceptus sit, concludi posse (velut

---

1) Haec glossa emendanda videtur: *Allobrux, Gallus, de Gallia.* Aliter Hagen l. c. correxit.

2) Cf. Ioannes de Ianua: 'dicitur a *collibet*, quod simul placet.' Plura adnotavit Hildebrand ad Gloss. Lat. p. 69 n. 293 *conlibium, genus est certae pecuniae.*

in usu fuisse olim notam *C.*, quae *cum* significabat), vereor, ut umquam Gitlbauero persuadeam.

44, 36, 12 *nasiquca* = *Nasica*, pro quo olim vulgari pronuntiationis neglegentia *nasiqua* scriptum erat, cf. C. I. L. X, 1365 *quopiosa* = *copiosa;* ib. IV, 1241 *Secundus quoservis proficisces salutem* = *Sec. conservis* (*coservis*) *proficiscens sal.;* Liv. 27, 1, 10 codd. recc. *quominus* = *cominus*, 33, 33, 2 codd. *lemnis quosque* = *lemniscosque;* Tac. ann. 13, 9 Med. *ex quomodo* = *ex commodo;* Prop. 1, 8, 20 Flor. *oriquos* = *Oricos;* Flor. p. 71, 26 (ed. Jahn) Bamb. *quodlam* = *Cotlam* (*quotlam*); Cic. p. Vat. 9, 21 Erfurt. *quos* = *cos* (h. e. sigla vocis *consul*), ut Cic. Phil. 3, 1, 2. 11, 9, 21. Liv. 23, 5, 1 Colb. Et sic *quoire, quoheres, quopiam* pro *coire, coheres, copiam* ut vicissim *coad, condam, corum, loci, alico* pro *quoad, quondam, quorum, loqui, aliquo* in libris mss. crebro occurrunt; v. Lachmann ad Lucr. IV, 116 et Heinrich ad fragm. Cic. p. Scauro p. 54 n. 13.

Contra hos, quos adhuc proposuimus locos, ubi postrema quaeque scriptura manifesto genuina est, pauci stant, ubi prima quaeque vera est, velut in eo, quod Liv. 24, 16, 3 pro *inpeditior* in Put. cod. scriptum extat *inexpeditior*, posterior lectio vitiosa deprehenditur. Cuius rei duae maxime explicandi rationes praesto sunt: aut enim in archetypo corrector ex eo, quo utebatur, codice pravum *ex* tamquam correctionem supra verum *inpeditior* scripsit, aut verum *in* supra pravum *expeditior* nec tamen suo loco, sed paulum sinistrorsum (velut sic: *pugnaexpeditior* with *in* written above) posuit. Utraque via codicis Put. scriptura *inexpeditior* suam habet explicationem. Similiter iudicandum videtur de his locis, ubi prava syllaba rectae postposita invenitur:

*ius* *is*
22, 35, 4 *isius* — *is* (*is* s. *ius*).

23, 34, 7 *et* | *pacta* | *et* | *pactis* — *et pacta.* Ab hac ectione vulgata non est quod recedamus; nam qui nuper lterius partis *et pactis* ut genuinae propugnatores exiterunt, eam ipsam corrigere coacti sunt, O. Riemann revue de phil. a. 1882 p. 198) *cum pactis*, C. Schenkl pud Zingerleum *ex pactis.* Mihi potius *pactis* ex eis, uae antecedunt, participiis *seductis* . . *territis* natum idetur. Ceterum nota hic integras voces a correctore epetitas, ubi paucis litteris res transigi potuit, cuius rei xempla rara sunt in Put., velut 29, 25, 13 *ediis editis* = *editis*, ib. 30, 10 *sibi adversi adversus Syphacem* = *sibi dversus S.*, plura in Vat. Cic. Phil. 2, 20, 50 *alienis lieni* = *alieni*, ib. 17, 42 *tum tuum* = *tuum*, 3, 12, 30 *rmatis armatos* = *armatos*, alibi. Cf. de hac specie duplicium lectionum Mone proll. ad Plin. palimps. p. XXVI.

25, 37, 19 *ereceptnrum* = *erecturum*: prava lectio *repturum* ex frequenti verborum *erectus* et *ereptus* permutatione (cf. codd. Liv. 21, 20, 9. 30, 15, 14 cet.) originem cepit. Recte *erecturum* (*si successisset coeptis, erecturum se adflictas res*) ex Perizonii coniectura vulgatur nec potest quidquam simplicius aut magis proprium aut denique ad codicis scripturam propius (ne Drakenborchii quidem *refecturum*) inveniri quam *erigendi* verbum. Afflicta, iacentia, humi demissa proprio usu *erigi* dicuntur; cf. Cic. Verr. 3, 91, 212 *illam tu provinciam adflictam et perditam erexisti atque recreasti*, Pomp. ap. Cic. Att. 8, 12 C, 3 *possumus etiamnunc rem publicam erigere;* Liv. 6, 2, 1 *consilia erigendae ex tam gravi casu rei publicae secum agitare*, 26, 41, 12 *haec omnia humi strata erexit ac sustulit.* Quod nuper C. Hachtmann in libello, quo philologi et paedagogi Gotham congressi salvere iubentur a. 1884,

scribendum proposuit *si s. coeptis, non* (s. *haud*) *recepturum adflictas res*, ibi, si quid recte sentio, locum non habet *recipiendi* verbum, quippe quod iis ipsis locis, ad quos provocavit, dicatur de recuperandis rebus amissis sive proprio sensu (*praedam, arma*) sive translato (*animum, vires*), quod ab hoc loco prorsus alienum est.

22, 34, 1 in Puteanei lectione *proditius* duas lectiones coniunctas inesse existimo *proditus* et *proditi* indeque hanc, quae bona est, recipiendam; nec aliter ediderunt superiorum temporum critici, quos tamen nemo praeter Hertzium secutus est. Vulgo hodie ex recc. codd. scribunt *proditi sunt*, quae lectio meo quidem sensu vehementer sapit interpolatorem ex corrupto *proditius* tolerabile aliquid efficere studentem. *Proditus* autem ut scriberet, librarius facile adduci potuit verbis prave coniunctis (*inter reges proditi a patribus C. Claudius*).

41, 19, 3 Vind. *aliosqueae* — *aliosque*: altera lectio fuit *aliosquae*.

ib. 20, 3 *viderire* — *videri* s. *videre*: illud unice verum est.

42, 3, 5 *fremitus eius* — *fremitus: eius*, cui pronomini nullus ibi locus est, omnes editores eiciunt, nemo mendi originem ostendere ne conatus quidem est. At
*itus* *itus*
nonne vitium ex *fremetus* sive *fremeius* ortum esse patet? *Obetu, adetu, gemetu* similiaque medio aevo scribere solitos esse homines pro *obitu, aditu, gemitu* Schuchardt l. c. II, 33 et III, 176 te docebit (*exercetum* legitur in cod. Sangallensi edicti, quod vocatur, Rothari).

ib. 27, 1 *quinqueremiebus* — *quinqueremibus*: de altera, quae indicatur, scriptura *quinqueremebus* cf. quae supra p. 60 diximus.

ib. 52, 14, ubi codex praebet *animum hos habendum esse* cet., plerique critici *hos* tollunt nec explicant, quomodo in textum orationis venerit. Alii in ea voce aliquid latere suspicantur, velut Kreyssig *his*, Weissenborn *cis* vel *ideo* vel participium aliquod, nuper Cobet (Mnemos. vol. X, 115) *modo*. Vahlen (Herm. vol. XVII p. 610) primus perspexit corruptis illis *animumhos* lectionem *animos* significari, sed quod eam ipsam genuinam esse ratus plurales in reliquam orationem induxit (*animos habendos esse, quos* pro codicis lectione *animum hos habendum esse, quem*) nescio an praeter necessitatem longius progressus sit. Mendum facilem habet explicationem sumpta archetypi scriptura $\overset{um}{\textit{animos}}$. Prave insertae aspirationis (*animumos, animumhos*) exempla supra p. 41 attulimus.

43, 2, 12 *hispanonis* = *Hispanos* s. *Hispanis* ($\overset{no}{\textit{hispanis}}$): illud verum esse omnes intellexerunt, vitii originem nemo[1]). *Hispanis* autem neglegens librarius scripsit, cum bis idem vocabulum eodem casu paulo ante exarasset.

44, 26, 3 *venieibant* = *veniebant* vel *venibant* quod pravum est.

45, 44, 15 *saeuo* pro *seu* natum puto ex archetypi scriptura $\overset{u}{\textit{seo}}$ (inde *seuo, saeuo*). Forma, quae est *seo* pro *seu*, in tabellis codicibusque medii aevi crebro oc-

1) Mire et in explicando errore et in ponenda vera lectione errat Gitlbauer l. c. p. 84, cum *hispanonis* ex genuina scriptura *hispanos* auctum esse sigla intempestive intellecta significat. Madvigium codicis scriptura fefellit, ita ut *hispanos nisi* inesse suspicaretur, quod non uno nomine displicere H. I. Mueller in ed.[2] Weissenb. bene exposuit.

currit, v. Schuchardt l. c. II, 163 (cf. 28, 36, 2 Put. *neo* = *neu*).

Quasi medium inter utrumque duplicium lectionum genus, ubi aut posterior aut prior lectio genuina esse coarguitur alterius manifesta pravitate, id genus est, ubi dubitari potest, utra genuina sit. In his quoque ambiguis postremam quamque veram esse complures critici, in quibus Woelfflin (l. c.) et H. I. Mueller (Zschr. f. d. Gymn. 1882, Jahresber. p. 280 n. 1), contenderunt, cum longe plurimis locis lectionem posteriorem genuinam esse animadvertissent. Mihi non ita simplex et expedita ea diiudicatio videtur, velut Liv. 22, 17, 3 in duplici scriptura a Puteaneo servata *circuma* = *circum* vel *circa*, quorum hoc hodie fere vulgatur inde a Woelfflinio. Nam etiamsi conceditur illud *circuma* ex archetypi scriptura *cir-cu*$\overset{a}{m}$ ortum esse, nihil tamen aliud inde cum fide et probabilitate colligi posse reor, nisi ex aliquo codice litteram *a* superscriptam fuisse, ut altera lectio *circa*[1]) significaretur. At eo etiam genuinum et vere a Livio profectum esse hoc *circa* evincitur? Minime opinor. Quid enim — ut unum obiciam — obstat, quominus *circa* in codice illo nescio quo prave scriptum fuisse pro *circum* statuamus? id quod propter antecedentis vocis *omnia* ter-

1) Duas lectiones *circum* et *circa* coniunctas delitescere persuasum habeo etiam loco Flori p. 122, 22 (ed. Jahn): ibi enim in optimo cod. Bamberg. extat *circa cum omnis* (sc. *regio*) *aurifera est*, in Nazar. *circa se omnis* cet., quod interpolatum, puto, ex illo ante Iahnium vulgatam obtinuit, qui ipse ex sua coniectura *circumcirca* edidit. Utrum *circum* an *circa* posuerit Florus, ne hic quidem discernere audeo iisque relinquo ad inquirendum, qui in eius scriptoris locutione investiganda versantur. Multa autem vestigia duplicium lectionum in Flori libris mss. inesse dudum intellectum est; cf. infra p. 86 sq.

minationem tam facile accidere potuit. Mallem igitur non tam fidenter iudicassent de his et similibus locis aut alia ad litem — si quidem fieri potest — dirimendam attulissent, velut loquendi usum scriptoris, quamquam ne inde quidem quidquam effici hoc loco posse puto. Nullo enim fere discrimine Livius *circum* et *circa* ponit, et ipsa codicum frequens fluctuatio impeditiorem hanc quaestionem reddit: ut uno exemplo defungar, 28, 5, 10 in solo Puteaneo cod. *circum* habetur, in reliquis omnibus *circa*. — Simile iudicium faciendum censeo de eo loco, qui est Liv. 22, 17, 2. Ibi diu decepti priorum collatorum neglegentia critici opinati sunt in Puteaneo quoque codice id legi, quod in codicibus inde profectis: *ad vivom ad imaque cornuum adveniens* (cf. infra p. 81), nec in verbo *adveniens* offenderunt praeter unum Madvigium, in ed. altera Livii librorum, ut est divina divinatione, adnotantem videri aut *veniens* aut *deveniens* scribendum esse. Hodie Aug. Luchsii, qui denuo codicem inspexit, opera (v. Herm. XIV p. 141) cognitum est, perspicue *cornuumaveniens* in eo scriptum legi, nec dubitatur a criticis, quin idem vir doctus statim recte dispexerit duas hic lectiones coniunctas esse *cornuum veniens* et *cornua ven.* Hucusque Luchs recte. At quod deinde posteriorem lectionem genuinam esse contendit eamque rationem probarunt editores recentiores, nescio an iusto confidentius egerint. Equidem hic quoque rem in incerto relinquendam censeo. Potest tamen alicui *ad ima cornuum* exquisitior lectio videri et altera *ad ima cornua* facile explicationem nancisci ex librariorum communi studio ad proxima accommodandi.

Deinde quis ex his duplicibus scripturis, quae in Vindobonensi codice extant, genuinam evincere audebit: 41, 22, 13 *suyria* — *Suria* vel *Syria*, 45, 10, 1 *classisse* — *classi* vel

*classe*[1]), 41, 28, 9 (in titulo) *felicissimume* — *felicissime* vel *felicissume*, 45, 22, 2 (in oratione Rhodiorum) *amplissimumis* — *amplissimis* vel *amplissumis*[2])? Quamquam his duobus locis posteriores scripturas veras esse (et hae vulgo eduntur) veri simillimum videbitur reputanti quotiens librarii antiquiores illas superlativi formas expulerint; v. supra p. 41. Magnam autem rursus contentionem movit praepositionum ambiguitas, quae in Put. duobus vel tribus locis in duplici scriptura apparet, velut Liv. 22, 4, 2 ex Put. lectione *inde* | *rursus* | *colles* | *adinsurgunt* adhuc certatur, utrum *adsurgendi* an *insurgendi* verbum Livius posuerit[3]). Equidem, ut iam indicavi, levi momento eam normam criticam habeo, ex qua postrema quaeque lectio genuina putanda sit. Licet in
*in*
archetypo codice fuisset *adsurgunt:* quis praestabit *in* praepositionem supra versum scriptam genuinam esse ac non errore ortam fuisse in eo codice, e quo a correctore desumpta est, ut cogitari potest ex antecedentis voca-
*ad*
culi *inde* initio *insurgunt* vitium traxisse. Et si *insurgunt* in codice sibi proposito repperit librarius, nonne nativo quodam praepositionum tenore, qui v. g. in *adimplere*, *adincrescere* sescentisque aliis medii aevi compositionibus

1) Duplicem lectionem non agnoverunt Gitlbauer l. c. p. 85 et Luterbacher, cum litteris ad H. I. Muellerum datis *cum classi XL lemborum* ex codicis scriptura *cum classisse lemborum* eruendum censeret. Navium numerus, si nullo pacto abesse potest, non latet in *sse*, sed errore absorptus est.

2) Cf. 29, 4, 8 P: *finitiumis* — *finitimis* vel *finitumis*.

3) Ungerum (Phil. XXXIII, 446) *colles ardui surgunt* commendantem quoniam alii iam refutarunt, relinquere possumus perinde atque Hertzium, qui Livio vindicavit ipsum *adinsurgunt* dignum latinitate medii aevi immodice vocabula adinvenientis.

verborum apparet, facile moveri poterat, ut *adinsurgunt*, non *inadsurgunt* exararet? Ut breviter dicam, hic quoque duae illae lectiones iunctae *adsurgunt* et *insurgunt* pariter mihi videntur ponderandae et perpendendae esse ac tot aliae discrepantiae codicum, quae dubitationem movent, utra lectio genuina sit, v. g. quod 29, 11, 6 codd. fluctuant inter *excipere* et *accipere*, ib. 35, 10 inter *confecisset* et *effecisset* (cf. Luchsii proll. p. LXXXXVIII sqq.). Iam cum ex codicis lectione nec hoc nec illud genuinum firmari possit satis certa argumentatione, alia subsidia circumspicienda sunt, quibus ad aliquem exitum adduci quaestio possit. Qua in re fortasse aliquem loquendi maxime usus (*insurgendi* verbum de locis rarum est: Tac. ann. 2, 16 *pone tergum insurgebat silva*) praeter mendorum examinationem movebit, ut *adsurgunt* genuinum esse sibi persuadeat, quod sane facile ob antecedentis vocis *inde* initium depravari poterat in *insurgunt* mendo tralaticio. Sed praestat rem in incerto relinquere. Paulo autem confidentius iudicari posset de eo loco, qui est 22, 42, 6, si certum esset duplicem lectionem non, ut vulgo putant, circa *ad hostes* et *in hostes* in Put. codicis lectione *in* | *parte* | *castrorum* | *quae* | *vergant* | *adinhostes* versari, sed circa *vergant* et *vergat*. Hoc si nobiscum statuitur, illud leve est, quod *ad* pro eo, quod exspectatur *at*, in codice est: neque enim semper primitivam integritatem duae coniunctae lectiones retinuerunt (v. infra p. 78 sqq.). Certe inde id lucramur, quod totius loci emendationem ex ipso Puteaneo sumere licet *quae vergat in hostes* (*quaever*$^{at}$*gantinhostes*), nec amplius dubitari potest, *ad hostes* an *in hostes* verum et a Livio profectum sit. Quod autem iam in codd. recc. repositum est *vergat*, id ipsum requiri pro codicis Put. lectione *vergant*,

quae a librario ad *castrorum* astructa videtur grammatica oratione non intellecta, nemo editor negavit praeter Frigellium, qui ex Gebhardi coniectura *qua vergant* in textu posuit, quam non improbare videtur H. I. Mueller Ztschr. f. d. Gymn. 1884 Jahresber. p. 91: at recte dici *castra, qua vergunt ad hostes*, non item recte *pars castrorum, qua vergunt ad hostes*, docent vel ipsa exempla, quibus utitur ad h. l. vir doctus (in prolegg. in T. Livii l. XXII p. XIII et LIII). Ex altera autem parte bene dicitur *pars castrorum, quae vergit ad h.*; cf. Liv. 27, 26, 7 *pars eius* (sc. *tumuli*), *quae vergeret ad hostium castra*, ib. 25, 11 *vergentem ad mare partem urbis*, ib. 42, 10 *quae pars castrorum — ad hostis vergebat*. Si cui ea explicandi ratio, quam nos instituimus, minus probatur, dubius haerebit inter *ad hostes* et *in hostes* nec facile controversiam ex Liviani sermonis observatione dirimere poterit, quippe qui *in* praepositionem undecies, *ad* octies vergendi verbo adiunxerit; v. Luchsium proll. ad Livii l. XXVI—XXX p. CV, in cuius indice locorum desidero unum locum Livii 44, 46, 5 *in tumulo vergente in occidentem hibernum*.

Denique iniuria huc trahi puto ab Alschefskio, Woelfflinio aliisque lectionem *cum apparuit*, quae est Liv. 21, 25, 11 in codicibus ex Puteaneo descriptis. Quod ibi codd. exhibent: *necdum per patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hostis* pro *nec, dum* ... *agmen, apparuit hostis*, me quidem adduxit, ut crederem *cum* coniunctionem inculcatam esse, cum verborum nexu non intellecto *necdum* una vox accepta esset in continua scriptura; simili prava distinctione et accedente interpolatione 30, 21, 9 in Put. orta sunt haec: *dedisse tandem id deos* ... *necesse fuit qui censeat* ex *ded. t. id deos... nec esse, qui censeat* (*fuit* additum est, cum *necesse* temere pro una voce

verborum apparet, facile moveri poterat, ut *adinsurgunt*, non *inadsurgunt* exararet? Ut breviter dicam, hic quoque duae illae lectiones iunctae *adsurgunt* et *insurgunt* pariter mihi videntur ponderandae et perpendendae esse ac tot aliae discrepantiae codicum, quae dubitationem movent, utra lectio genuina sit, v. g. quod 29, 11, 6 codd. fluctuant inter *excipere* et *accipere*, ib. 35, 10 inter *confecisset* et *effecisset* (cf. Luchsii proll. p. LXXXXVIII sqq.). Iam cum ex codicis lectione nec hoc nec illud genuinum firmari possit satis certa argumentatione, alia subsidia circumspicienda sunt, quibus ad aliquem exitum adduci quaestio possit. Qua in re fortasse aliquem loquendi maxime usus (*insurgendi* verbum de locis rarum est: Tac. ann. 2, 16 *pone tergum insurgebat silva*) praeter mendorum examinationem movebit, ut *adsurgunt* genuinum esse sibi persuadeat, quod sane facile ob antecedentis vocis *inde* initium depravari poterat in *insurgunt* mendo tralaticio. Sed praestat rem in incerto relinquere. Paulo autem confidentius iudicari posset de eo loco, qui est 22, 42, 6, si certum esset duplicem lectionem non, ut vulgo putant, circa *ad hostes* et *in hostes* in Put. codicis lectione *in* | *parte* | *castrorum* | *quae* | *vergant* | *adinhostes* versari, sed circa *vergant* et *vergat*. Hoc si nobiscum statuitur, illud leve est, quod *ad* pro eo, quod exspectatur *at*, in codice est: neque enim semper primitivam integritatem duae coniunctae lectiones retinuerunt (v. infra p. 78 sqq.). Certe inde id lucramur, quod totius loci emendationem ex ipso Puteaneo sumere licet *quae vergat in hostes* (*quaeverg*$\overset{\textit{at}}{\textit{ant}}$*inhostes*), nec amplius dubitari potest, *ad hostes* an *in hostes* verum et a Livio profectum sit. Quod autem iam in codd. recc. repositum est *vergat*, id ipsum requiri pro codicis Put. lectione *vergant*,

quae a librario ad *castrorum* astructa videtur grammatica oratione non intellecta, nemo editor negavit praeter Frigellium, qui ex Gebhardi coniectura *qua vergant* in textu posuit, quam non improbare videtur H. I. Mueller Ztschr. f. d. Gymn. 1884 Jahresber. p. 91: at recte dici *castra, qua vergunt ad hostes,* non item recte *pars castrorum, qua vergunt ad hostes,* docent vel ipsa exempla, quibus utitur ad h. l. vir doctus (in prolegg. in T. Livii l. XXII p. XIII et LIII). Ex altera autem parte bene dicitur *pars castrorum, quae vergit ad h.;* cf. Liv. 27, 26, 7 *pars eius* (sc. *tumuli*), *quae vergeret ad hostium castra,* ib. 25, 11 *vergentem ad mare partem urbis,* ib. 42, 10 *quae pars castrorum — ad hostis vergebat.* Si cui ea explicandi ratio, quam nos instituimus, minus probatur, dubius haerebit inter *ad hostes* et *in hostes* nec facile controversiam ex Liviani sermonis observatione dirimere poterit, quippe qui *in* praepositionem undecies, *ad* octies vergendi verbo adiunxerit; v. Luchsium proll. ad Livii l. XXVI—XXX p. CV, in cuius indice locorum desidero unum locum Livii 44, 46, 5 *in tumulo vergente in occidentem hibernum.*

Denique iniuria huc trahi puto ab Alschefskio, Woelfflinio aliisque lectionem *cum apparuit,* quae est Liv. 21, 25, 11 in codicibus ex Puteaneo descriptis. Quod ibi codd. exhibent: *necdum per patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hostis* pro *nec, dum ... agmen, apparuit hostis,* me quidem adduxit, ut crederem *cum* coniunctionem inculcatam esse, cum verborum nexu non intellecto *necdum* una vox accepta esset in continua scriptura; simili prava distinctione et accedente interpolatione 30, 21, 9 in Put. orta sunt haec: *dedisse tandem id deos ... necesse fuit qui censeat* ex *ded. t. id deos... nec esse, qui censeat* (*fuit* additum est, cum *necesse* temere pro una voce

acciperetur). Cui haec explicatio displicet, duplicem lectionem *cumparuit* (h. e. *comparuit*) et *apparuit* latere statuat delectumque habeat. Id vero prorsus reiciendum puto, quod nuper Novák scribendum proposuit neque H. I. Mueller improbare videtur (Ztschr. f. d. Gymn. 1883 Jahresb. p. 342) *usquam apparuit*[1]) pro *cum apparuit*.

Supra iam monui non omnibus locis duas varias lectiones integras apparere. Interdum enim duae ita coaluerunt, cum a librario describerentur, ut una alterave littera interciperetur[2]). Saepius sic cum litterae *u* interitu coniunctae inveniuntur duae lectiones, quarum varietas vertitur in formarum perfecti temporis terminationibus *-erunt* et *-ere;* velut Liv. 22, 20, 11 Put. codicis lectio *fuerent* manifesto nata est ex archetypi scriptura *fuer*$\overset{e}{u}$*nt:* nempe correctoris consilium, quo *fuere* correcturus erat, librarius non intellexit, cum *e* correctionem litterae *u* esse putaret. Sine dubio igitur fuit *fuere* in eo codice, ex quo sumpsit corrector et supra li-

---

1) In textum recepit A. Zingerle.

2) Quod Liv. 1, 46, 1 in codice Mediceo, qui multas habet duplices lectiones, legitur *dubiem* manifesto ex archetypi scriptura *dubi*$\overset{e}{u}$*m* fluxit. Extiterunt igitur antiquitus duae lectiones *dubie* et *dubium,* inter quas fluctuant hodie quoque editores. Nec facile decerni poterit, utrum a Livio profectum sit: certe iam usu *haud dubium regnum* possedisse Servius recte dici potuit eo usu, quo haud raro adiectivum *dubius* passiva significatione (germanice: unbestritten) ponitur; cf. 1, 42, 3 *fuso ingenti hostium exercitu haud dubius rex,* 4, 8, 1 *haud dubii consules,* 39, 19, 12 *haud dubius praetor,* contra 40, 54, 8 *alter filius haud dubie et sua et aliorum opinione rex,* ubi Duker maluit *dubius.* Nec minus dubitationis oritur ex eiusdem codicis lectione *immodicas cupido* 6, 35, 6, utrum *immodica* an *immodicus cupido* scripserit Livius, nec ex eis, qui supersunt, Livii libris eam quaestionem dirimere nobis licet.

neam scripsit *e*, nec magis dubium mihi quidem est, quin haec forma (*fuere*) genuina sit (v. infra). Corruptelae originem fluentemque inde emendationem hoc loco primus perspexit Woelfflin (Livian. Kritik p. 6), postea alii in aliis Puteanei[1]) codicis scripturis monstraverunt, velut 22, 45, 8 *tenuerent* — *tenuere* (*tenuerunt*), ib. 46, 6 *steterent* — *stetere* (*steterunt*), ib. 49, 12 *obruerent* — *obruēre*, 23, 29, 14 et 22, 1, 2 *viderent* — *videre*; cf. Luchs ind. lect. Erlang. a. 1881 p. 5. Quamquam tribus postremis locis non tam evidens est emendatio: nam ibi *obruerent* et *viderent* possunt videri tempora imperfecta ex *obruerunt* et *viderunt* vulgari terminationum confusione[2]) depravata. Haec autem si recte disputata sunt et ab aliis et a nobis, vel ex his duplicibus scripturis disci potest librarios veteres maxime studiosos fuisse formis perfecti in *-ere* desinentibus communes substituendi, scilicet quae in *-erunt* desinunt[3]).

---

1) Eodem modo nescio an 45, 12, 12 in Vindobonensis cod. scriptura *manserent*, quod vulgo mutant *manserant*, delitescat *mansere* idque reponendum sit sententiis sic distinctis: *deinde*. . . *hibernabat. Legiones Romanae* . . . *Romae mansere, et praetores* . . . . *in provincias iere* cet. Altero loco, qui est 42, 54, 6, cum codex exhibeat *subiperfuereunt* dubitari potest, utrum *superfuerunt*, quod vulgo scribitur ab editoribus, an *superfuere* legendum sit, quamquam non dubium est, quin *subeundi* verbum, quae altera discrepantia indicatur, prorsus alienum sit.

2) Hanc e. g. agnoscunt critici Liv. 25, 18, 13, ubi cum in Put. prave scriptum extet *defenderent*, vulgo reponunt *defenderunt*, non *defendere* et 43, 4, 8 *averterunt* ex Vind. *averterent*.

3) Similiter saepius librarii perfecta contracta in *-arint* exeuntia e textibus summovisse videntur, cum aut formas non contractas aut imperfecta coni. substituerent. Sic Liv. 27, 16, 7, ubi in Put. est *aequaverint*, in alterius familiae codicibus *aequarent*, nescio an verum sit *aequarint*. Cic. p. Mil. 16, 44 unice rectam lectionem

Conclusimus hoc olim observatis quibusdam mendis, quibus loci Liviani inquinati sunt, velut inde, quod 30, 34, 6 in compluribus codd. infinitivus historicus, quem vocant, *refugĕre* prave pro perfecto (*refugēre*) acceptus mutatus extat in *refugerunt:* in ipso autem negotio hic interpolator deprehenditur, quippe qui paulo post sequentem infinitivum *caedere* intactum reliquerit. Simili mendo aberratum videtur 37, 51, 9 in codd. Bamb. et Mog. pro *a vetere fama,* quibus verbis respondent superiora *a recenti metu, averterunt fama* exhibentibus, quae A. Rubenii est felicissima emendatio: dudum mihi persuasi in archet. fuisse *avertere* pro *a vetere*[1]) et, cum *avertĕre* nescio quo pacto intellectum esset perfectum *avertēre,* vulgarem formam *averterunt* a librario esse repositam.

Atque haec non in ipsis codd. Puteaneo et Vindobonensi orta saltem non omnia esse, sed in antiquiore iam codice probabile fit compluribus exemplis, ubi latius serpente errore duae lectiones iunctae non primitivam formam in codd. illis servarunt: et facile intellegitur duplices scripturas non intellectas iam primis temporibus retinere atque impedire debuisse librarios, ita ut de suo ingenio corrupta expedire studerent. Sic saepius syllabae rectae, quae olim superscriptae erant, postea intra lineam receptae, librariis speciem praebuerunt, tamquam trunci vocum essent, uberrimamque ansam dederunt de suo aliquid supplendi. Cuius rei nullum certius habemus testi-

---

*dubitarit* Severianus rhetor (Rh. lat. min. 362, 7) servavit, codd. nostri Ciceronis omnes *dubitaret,* Isidorus denique *dubitaverit* exhibet. Similes lectionum varietates e codd. Livii tertiae decadis collegit Luchs proll. p. CXXIII.

1) Sic Liv. 9, 39, 11 in Parisino, Tac. hist. 3, 71 in Med. *vertere* pro *vetere* legitur, ib. ann. 16, 10 *avertere* pro *a Vetere,* Cic. fam. 1, 7, 7 in Med. *devertere* pro *de vetere.*

monium, quam Liv. 21, 30, 2. Ibi cum in Puteaneo codice pro *terrae* scriptum legatur *terrase* (natum ex archetypi scriptura *terras*$^{e}$, accommodato olim *terras* ad sequ. *quas*), antiqua manus syllabam *as* superscripsit extremae litterae *e*, scilicet *terras eas* emendatura: quod cum ex Put. in Mediceum et Colbertinum codd. transisset, decepit Vallam, Gronovium, I. H. Vossium, ita ut in emendando inde profecti varia nequicquam comminiscerentur. Similiter 22, 17, 2 quod in Put. extat *cornuumaveniens*, h. e. *cornuum veniens* vel *cornua v.* (v. supra p. 74) in Med. et Colb. codicibus, qui ex illo fluxerunt, depravatum iam deprehenditur in *cornuum adveniens*. At iam in ipso Puteaneo cod. talia deprehenduntur, velut quod 22, 41, 7 in eo legitur *impedimenta* | *per* | *cornvallem* | *medium* | *amnem* | *traducit* pro *i. per convallem mediam traducit*: vidit Madvig (em. Liv. p. $300^{2}$) primum *per convallem medium* pro *p. c. mediam* scriptum fuisse, deinde recta syllaba *am* superposita (*medium*$^{am}$) et in verborum ordinem recepta (*mediumam*) novum scribam non habentem, quid syllabae *am* faceret, supplendo effecisse *medium amnem*, quod latius gliscente errore cum in Mediceo aliisque in *medium agmen* abiisset, usque ad Madvigii tempora vulgabatur. Similem supplendi conatum ostendunt hi duo loci: 26, 25, 10 *quod* | *se* | *acarnanes* pro *quos Acarnanes* (in arch. fuit *quod*$^{s}$; cf. infra p. 104) et 43, 10, 3 Vind. *aforo* | *et* | *fraudem* pro *afore fraudem*[1]) (in arch. fuit *a foro*$^{e}$). Nec vero solum addendi sed etiam varie mutandi abiciendi trans-

---

1) Hoc recte vulgari puto ex Bekkeri coniectura. Alii, in his Buettner et Weissenborn, errore non perspecto plus latere suspicati sunt. Sed per se nihil aliud sententia requirit; cf. 42, 39, 6 *nihil fraudis fore in conloquio.*

ponendi litteras ansam praebuere duplices lectiones librariis non agnitae, velut Liv. 23, 12, 1 *superpatris* pro *supra tris* ortum est ex archetypi scriptura *superpratris*
(*su*^pra^*pertris*), omissa, quae librario abundare videbatur, littera *r*; 28, 46, 6 *alibet* (= *alibi*) natum puto ex archetypi scriptura *alib*^i^*e*: cum intra lineam reciperetur aut iam recepta esset *i* vocalis, frequenti vitio *t* exarata est. Scriptum autem erat olim *alibe* eodem more, quo 28, 20, 4 in Put. *alicube* = *alicubi*, Verg. georg. 3, 332 in Pal. *sicube* = *sicubi*, C. I. L. VIII, 2728 *ube* = *ubi* legitur; cf. Schuchardt l. c. II, 50 et Ribbeck proll. ad Verg. p. 451.

42, 20, 3 *victissimus* pro *victimis* in Vind. scriptum mihi videtur natum esse ex depravata archetypi scriptura *victis*^imis^ (*victissimis*), aliter Gitlbauero l. c. p. 64 n. 6.

ib. 35, 6 *iterent* pro *item* nescio an repetendum sit ex *iter*^em^, litteris *nt* et *m* frequenti vitio confusis (v. infra p. 111 sqq.): *iter* autem et *item* saepius in codd. permutata inveniuntur, e. g. in eodem Vind. 44, 7, 6. 11, 6.

ib. 64, 2 id ipsum, quod in Vind. legitur *fasicibus*, potest adiuvare aliqua ex parte I. Fr. Gronovii coniecturam *falcibus*, si quidem statuimus in archetypo *fa*^l^*scibus* fuisse, *l* autem superpositum postea *i* lectum esse vulgari errore. Accedit, quod in vulgata lectione *spicas fascibus desecantem* insolite dictum est pro *de fascibus* vel *a fasc. des.* *Fascibus* librarius scripsit, cum in auribus haereret id vocabulum ex antecedentis capitis § 7.

45, 28, 10 quod in codice habetur *milites sibi* pro eo, quod vulgatur *militibus*, Gitlbauer l. c. p. 111 ita explicat, ut syllabam *ib* in archetypo supra *militus* (quod com-

pendiose olim exaratum fuisse *milit̄us* opinatur!) scriptam in *sibi* depravatam esse dicat. Qua via quomodo codicis scriptura oriri potuerit, non satis video nec nova eiusdem viri docti de antiquissimorum codicum compendiis doctrina constat. Malim statuere in archet. super pravum *milites* rectam terminationem *ib.* — *ibus* scriptam fuisse ($\overset{\textit{ib.}}{\textit{milites}}$) eaque pro *ibi* accepta — id quod non raro[1]) factum est — latius errorem vagatum esse (*militesibi*, *militessibi*).[2]) Hanc fere erroris originem esse eo magis mihi persuasi, quod paulo post c. 31, 4 similis corruptela in eodem Vindob. facile agnoscitur: ibi enim cum in codice sit *civitatemsibi* pro eo, quod requiritur *civitatibus*, verisimillimum est in archetypo fuisse $\overset{\textit{ib.}}{\textit{civitates}}$, inde natum *civitatesibi*, *civitatemsibi*. His atque similibus depravationibus animadversis nescio an subvenire possimus loco graviter vitiato, qui est 25, 36, 11, explicanda codicis Put. lectione *traditisdibi:* in hac enim nihil aliud inesse puto nisi ablativum *trudibus* a librariis primum, ut fit in vocabulis minus tritis, corruptum in *traditis*, deinde superscripta

1) Hoc mendo in Vind. 42, 25, 13 legitur *manentibi* pro *manentibus* (*manentib.*), ib. 57, 11 *stationibi* pro *stationibus* (*stationib.*), alibi similia.

2) Nuper Harant l. c. p. 295 servata codicis scriptura *militessibi* reliqua sic legenda proposuit: *quod adeo indulsisse* (sic codex) *milites sibi, ut nudarent* (*nudare* codex) . . . *muros urbis pateretur,* quae lectio et pravam verborum collocationem habet et perversa tempora (*indulsisse* . . . *pateretur* pro eo, quod debuit *indulgere* . . . *passus esset*. Me ipsum quondam aliud latere in verbis *milites sibi* (velut *militis libidini*) suspicatum nunc paenitet, postquam sensi non posse rectius aut simplicius sententiam efferri quam ea lectione, quae vulgatur *quod adeo indulsisset militibus, ut nudare* . . . . *muros urbis pateretur,* agnita insuper simili depravatione, quae c. 31, 4 in codice Vind. deprehenditur.

*dib.*
emendatione (*traditis*) monstrum illud evasisse. *Trudibus* feliciter invenit Madvig, in reliquis tamen emendandis, ut ceteri, qui hunc locum temptaverunt, longius a codicis memoria recessisse mihi videtur. Equidem reposita hac voce tantum ad coniungendas aptius sententias *at* particulam, quae post *erat* facile intercidere potuit, inserendam censeo totumque locum sic refingendum: *at trudibus cum amoliti obiecta onera armatis dedissent viam . . . capta iam undique castra erant.*

Hic illic videntur rectae syllabae emendandi gratia superscriptae nescio qua collocatione librariis speciem praebuisse integrarum vocum inserendarum, ita ut eas syllabas in verborum ordinem priores describerent. Velut Liv. 24, 20, 10, ubi in Put. legitur *iam vim* pro *viam,*
*iam*
in archetypo fuisse puto *vim;* 42, 2, 7 in Vind. *et esse* pro *esset* et ib. 55, 9 *erat venerant* pro *venerat*[1]) nata
*et* *erat*
puto ex archetypi scripturis *esse* et *venerant.* Simili erroris explanatione iuvatur egregia coniectura, qua Nipperdey Cic. Phil. 6, 4, 11 vitiosam codicum lectionem *quis est, qui hunc non casu existimet recte fecisse, nequitia est scelere* sanavit scribendo .... *nequitia sceleste*: vix dubium est,
*est*
quin in archet. scriptum fuerit *nequitia scelere.* Denique Cic. de div. 1, 16, 29 codicum aliquot lectionem *ut in omnia* (pro *ut omina,* quod vulgatur) repetendam esse
*in*
ex archetypi scriptura *ut omnia* intellexit C. F. W. Mueller nov. ann. phil. LXXXIX p. 130, merito simul reiciens Klotzii coniecturam ex illa lectione derivatam *uti omina.*

---

1) Sic bene correxit Madvig em. Liv. p. 541², quamquam ipse aliunde erroris originem repetit.

Priusquam Livii codices Puteaneum et Vindobonensem relinquamus, attingenda nobis videtur ea opinio, qua nonnulli viri docti crediderunt in antiquissimis iam codicibus nota aliqua duplices lectiones significatas esse, nisi maxime ea scriptura, quam Alschefski Liv. 22, 16, 3 ex Puteaneo protulit *poenis†us* = *Poenis vel us*. Equidem in praesenti tempore valde dubito de ea, quae Alschefskio visa est, sigla † = *vel*. Maximam enim suspicionem movet, quod et nusquam alibi in Put. duplices scripturae nota significatae inveniuntur nec illa ipsa nota † in antiquioribus codd. legitur, quos sciendum est notarum compendiorumque admodum exiguum habere numerum et rarum angustisque finibus circumscriptum usum. Quare nos interim suspicamur illo loco *t* litteram in Put. significari (*poenistus*) eamque mero casu similitudinem siglae † ex recc. codicum usu Alschefskio satis notae duxisse. Ceterum sic quoque manet, quod ab Alschefskio aliisque recte perspectum est indicari duas lectiones, pravam *Poenis* et veram *Poenus*, nisi quod *poenistus* ex *poenisus* errore gliscente natum putamus: prior lectio *poenis* videtur ex prava ad antecedentem vocem *romanis* accommodatione vitium traxisse. Non agnoverunt duplicem lectionem, qui *Poenus abditus* vel *inclusus* (Weissenborn) vel *Poenus hostis* (H. A. Koch) corrigendum censuerunt, non magis quam veteres librarii, quorum ingenio debentur lectiones *Poenis tunc* et *Poenus contra* in codicibus ex Put. descriptis obviae. Vix est quod moneam in recc. codd. passim siglam illam † (= *vel*) ad indicandam discrepantiam scripturae adhibitam inveniri (cf. Fleckeisen, Philol. vol. IV p. 337 n.) atque interdum etiam in textum orationis illatam fucum fecisse criticis nostrae aetatis perinde ac veteribus librariis. Cuius rei insigne exemplum praebet scriptura codicis Leidensis Non. p. 182,

16 *hiclec*, quam nihil aliud esse nisi *hic ł ec*, h. e. *hic* vel *haec*, Vahlen ostendit (in M. Terenti Varronis reliqu. coniect. p. 166).

Quae adhuc attulimus exempla duplicium lectionum, petita sunt fere ex Puteaneo et Vindobonensi Livii codicibus. Sed ne forte credas in iis solis talia inveniri, in aliorum quoque scriptorum latinorum libris mss., si propius inspexeris, hoc singulare scripturae genus cognoscitur et ex parte iam agnitum est a viris criticis, velut in Vaticano quodam codice, qui Ciceronis orationes Philippicas exhibet. Pauca inde, ne codicem exscribam, subicio: Phil. 2, 2, 3 *con non venirem* = *convenirem* (arch. $\overset{con}{non}$ *venirem*), ib. 7, 17 *cum consciorum* = *consciorum* (arch. $\overset{con}{cum}$*sciorum*; cf. supra p. 65), ib. 10, 23 *coniunctionise* = *coniunctione* (*coniunction*$\overset{e}{is}$), ib. 17, 43 *quods* = *quos* (*quod*; cf. p. 104), ib. 22, 53 *illi edicebat* = *ille dicebat* (*ill*$\overset{e}{i}$ *dicebat*), ib. 37, 96 *iureis consultus* = *iure* s. *iuris consultus*; 3, 5, 12 *consiliumo* = *consilio* (*consilium*), ib. 9, 22 *intelligitat* = *intelligat* (*intelligit*); 11, 5, 12 *nequec* = *neque* s. *nec*, ib. 6, 14 *vindicemis* = *vindicis* (*vindicem*), ib. 8, 19 *dignitatise* = *dignitate* (*dignitatis*); 7, 4, 13 *memilites* = *milites* (*melites*), ib. 8, 21 *armato saga* = *arma saga*; in archetypo fuit *arma* $\overset{sa}{to}$*ga*, quod non perspexit Halm, cum adnotaret: an *armati saga?*

Ex Flori codicibus Nazariano et Bambergensi idem genus larga exemplorum copia illustravit O. Jahn in editionis suae praef. p. XXI sqq., quibus pauca addam, velut p. 45, 1 Naz. *utrinusque* = *utriusque* (arch. *utri*$\overset{us}{n}$*que*), p. 45, 23 *remo uomuere* = *revomuere* (*re*$\overset{vom}{mo}$*uere*), p. 54, 12 *silata* = *sita* (*si*$\overset{ta}{la}$), p. 66, 28 *femuneratus* = *mune-*

*mu*
*ratus* (*feneratus*). Nec mihi dubium est, quin p. 51, 26 in Bambergensis cod. lectione *syiniuria* delitescant duae
*sy*
*in syria* (*suria*) et *iniuria* (arch. *iniuria*), quarum haec sola in Nazariano extat, utraque sensu caret: verum invenit Maur. Haupt coniectando *ruina*. Jahn l. c. p. XXXI scripturae originem non dispexit.

In Taciti Mediceis codicibus miror neminem adhuc duplicium scripturarum vestigia observasse. Insunt tamen nonnulla, velut ann. 15, 69 *aqua versa mersatur* = *aqua*
*mersa*
*mersatur:* in archet. fuit *versatur*, quod non intellexit, qui *aqua infusa mersatur* scribendum coniecit.

ib. 3, 20 *vicos excincedere* = *vicos excindere* vel depravatum postea *excidere:* hanc enim vulgarem discrepantiam significari puto nec facile ad diiudicandum esse, utrum genuinum sit, quamquam illud vulgo ab editoribus scribitur. Quod enim superioris aetatis criticos[1]) ex parte secutus nuper Lahmeyer (Philol. XXXVIII, 150 sqq.) censuit excidendam radicitus esse e lexicis verbi *excīdendi* notionem delendi, diruendi, evertendi, indeque, qui obstant[2]), locos corrigendos, cum alia dissuadent, quae singillatim persequi hic locus non est, tum quod Augustus in memoria rerum suarum (Mon. Anc. 1, 15 ed. Mommsen)

1) Lipsium, Gruterum, Beneckium (ad Iust. 8, 4, 11).

2) Obstant praeter eos, quos Lahmeyer l. c. contulit, hi loci: Sall. hist. II fr. 96, 6 (ed. Dietsch) *oppida excisa*, Liv. 21, 19, 1 *Sagunto excisa*, Eutr. 1, 19 *Fidenae excisae*, Pan. vet. 4, 1, 4 *tot excisae nationes*, Liv. 6, 9, 2 *ad excidendum Antium*, Sen. clem. 1, 1, 2 *nationes funditus excidi*. Fugerunt eundem virum doctum haec testimonia, quibus *exscindendi* verbum constat: Liv. 6, 9, 2 (*Antium exsc.*), 28, 44, 2 (*fines*), 44, 27, 5 (*urbes*), Tac. ann. 13, 39 (*castella*), Cic. p. Mil. 33, 90 (*curiam*), rep. 6, 11 (*urbem*), p. Planc. 41, 97 (*urbem*), Sall. hist. IV fr. 20, 17 Kr. (*socios amicos*), Sil. It. 17, 189 (*Romam*). Ceterum cf. supra p. 37.

scripsit *exteras gentes . . . conservare quam excidere malui*, ut nunc cognitum habemus novissima collatione a Domaszewskio facta, qui apicem quoque supra *i* vidit.

ib. 6, 28 *aliter esse soside* = *alites Soside:* primitus scriptum fuit *aliter soside.*

ib. 14, 55 ex Med. lectione *ad quae Nero sic ferme respondit et* nescio an eliciendum sit ... *respondet* (arch. *respond*[et]*it*): vulgo ex Lipsii coniectura *respondit* edunt abiecta particula *et*, quam nemo explicat, quomodo in textum irrepserit. Commendaverunt tamen pro *et* Spengel *ei*, nuper Io. Mueller *en* (ad seqq. verba trahendum), quorum utrumque abundat, prius insuper pravam collocationem habet. De praesenti tempore, quod nobis placuit, *respondet* cf. hist. 4, 65 *Agrippinenses* ... *in hunc modum respondent.*

hist. 1, 66 *aequissaxuribus* pro eo, quod vulgatur *aequis auribus*, ortum puto ex archetypi scriptura *aequis*[a]*xuribus* sive mavis *aequi*[sa]*xuribus.* Facile igitur carebimus Meiseri coniectura *aequis mox auribus,* olim ab Halmio probata, nunc merito abiecta: *mox*, cum paulo antecesserit *tum*, totam orationem prava abundantia corrumpit. *Auribus* depravatum fuisse in *xuribus* mirum non est, v. quae de *A* et *X* litteris permutatis infra p. 96 sq. dicentur.

ib. 2, 9 *perremiserat* = *permiserat*: pravum *remiserat* natum erat ex antecedentis vocis initio *regendas.*

ib. c. 76 *tamquam* = *quam* (primitus erat *tam*).

3, 28 *traditam an potior* = *tradit an potior* (primitus erat *traditampotior*).

4, 42 in Med. lectione *sponte eXSC accusatio subisse* ... *videbatur* non possum mihi persuadere aliud inesse atque vulgatam a Colero constitutam *sponte accusationem*

*subisse . . . videbatur.* Ni fallor, antecedentis verbi *extulerat* initio ansam dante in arch. scriptum fuit *exscusatio* (i. e. *excusatio;* v. supra p. 38), superpositis litteris *acc* ($\overset{\text{acc}}{\text{excsu}}$*satio*); iam cum superscripta intra lineam recepta essent, doctus quidam librarius litteras *exsc* intellexit *ex S. C.*, quod in recc. codd. perscriptum legitur *ex senatus consulto.* *Sponte* igitur, quod auget accusatoris flagitium, *accusationem subisse videbatur* Regulus (sicut Plinius ep. 3, 7, 3 de Silio Italico dicit: *sponte accusasse credebatur*), non *sponte Caesaris*, quod Io. Mueller compluribus editoribus probavit, aut *sponte senium consularium*, quod nuperrime Meiser commendavit. Vulgatam lectionem praeter alios Nipperdey quoque secutus est.

Denique in Vellei quoque libris mss. vestigia deprehenduntur lectionum olim supra lineam scriptarum, velut quod 2, 32, 4 in Murbacensi cod. legitur *discripto quosve* (= *discriptoque*), natum videtur ex scriptura archetypi *discriptoqu*$\overset{\text{ue}}{\text{os}}$, et ib. § 1 *liber aeret reip.* (= *liberae reip.*) ex *liberae*$\overset{\text{rei}}{\text{re}}$*tp.* Qui his locis coniecturis indulserunt origine mendorum non intellecta, eos merito nemo editor audiit. Qua re animadversa nescio an contingat nobis, ut lucem afferamus loco a multis viris doctis tentato, qui est 1, 9, 6. Ibi in codicis Amerbacensis lectione misere corrupta *contulerit his et* nostro quidem iudicio duae scripturae coniunctae latent *contulerit* et *contulisset* (archet. *contu*$\overset{\text{isset}}{\text{lerit}}$), quarum prior ex paulo post sequentis verbi *vicerit* terminatione vitium traxit, posterior genuina est, sed depravata, postquam superpositum *isset* intra lineam receptum erat (*contulerit isset*), inserta aspiratione, quam mendi speciem tractavimus supra p. 41. Formam orationis hanc fuisse contendimus: *ut bis miliens centiens*

*sestertium aerario cum ⟨in⟩tulisset, omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.* De sede *cum* coniunctionis nihil pro certo affirmare audeo. *Inferendi*[1]) verbum commendari mihi videtur maxime simili loco Velleiano 2, 40, 3 *longe maiorem omni ante se inlata pecunia in aerarium intulit.* Praeterea et patitur inferendi verbum dativum *aerario*, ut Tac. ann. 13, 31 *sestertium quadringentiens aerario inlatum est*, Plin. ep. 2, 11, 20 *ille et septingenta milia aerario inferenda* (*censuit*), nec, siquid video, aliter stare potest traditum *aerario*; nam Orosius solus ausus est 5, 18 *nihil tamen Pompeius ex ea egenti aerario contulit.*

Properamus ad finem, postquam veteres librarios paene in ipsa scriptoria comitati eorumque describendi errores aucupati hoc capite sumus. Vidimus in duobus vetustissimis codicibus Livii (nec non aliorum scriptorum) quomodo archetypa eorum referta fuerint correctionibus supra lineas positis; vidimus, ut posteriores librarii has correctiones in continuae orationis corpus varie intulerint retentis eis, ad quae correctiones pertinebant; vidimus, ut convenienter naturae aliae super alias depravationes inde ortae sint: nam ea est erroris infelicitas, ut novos errores gignat et, dum se occultare studet, magis magisque crescens luxurietur. Dubito an in aliis quoque codicibus scriptorum latinorum idem corruptelae genus lateat necdum agnitum sit. Certe critici Liviani mihi semper visi sunt ad hanc contaminationis speciem ab aliis dudum in lucem protractam et in artis criticae usum conversam

1) Eodem sensu reperitur *in aerarium ferre* Liv. 10, 46, 14. 41, 28, 6. 45, 43, 8, *inferre* Liv. 33, 27, 3, *deferre* Liv. 5, 25, 8, *referre* 37, 57, 12. 38, 55, 6. 45, 4, 1. Cic. leg. agr. 2, 27, 72. ad Att. 7, 1, 6. *Conferre in aerarium* semel Velleius 2, 39, 2 de gentibus stipendiariis dixit.

iusto minus attendisse, atque persuasum habui non exiguos inde fructus hodie quoque percipi posse, ita ut abiciantur e textu, quae, cum ex coalitis lectionibus prava veraque nata sint, speciem praebent integrarum vocum ad ipsam orationem pertinentium. Mea de ea re disputatione fortasse hic illic modum transiisse in explicandis librariorum erroribus merito viris prudentioribus videbor, nec me in singulis offirmabo: contentus ero, si probaro illam duplicium lectionum observationem haud parvi momenti esse ad textus scriptorum latinorum recte aestimandos atque cum fide restituendos.

---

## IV. De similium litterarum in unciali scriptura permutatione.

Opinantur plerique nec solum rudes in arte critica suis quibuslibet coniecturis quasi commendationem accessuram esse, si commenta sua una cum codicum verbis maiusculis litteris depicta legentium oculis praebeant. Eiusmodi praestigiae, quibus omnia ex omnibus fiunt, passim in actis atque ephemeridibus philologicis deprehenduntur, interdum ita, ut ne una quidem littera cum ea, cui respondere iubetur, vel tenuem similitudinem habeat omnisque similitudo in eo vertatur, quod utrumque scriptura nostris oculis insolita expressum est. Quae ratio quam arbitraria plerumque et ridicula sit, dici vix potest. Nam praeterquam quod hi critici ignorant minime principem in arte locum obtinere eum errorem, qui est in similium litterarum permutatione positus, miram plerumque produnt imperitiam artis palaeographicae, quae nisi penitus percepta est, ad meras necessario praestigias redit. Neque enim solum litteras confusas esse volunt, quae omnino nulla aetate neque in ullo scripturae genere confundi potuerunt propter ductuum quam maximam diversitatem, velut *l* et *r*[1], *d* et *t*[2], *b* et *v*[3] cet., quae

1) Cf. supra p. 62.

2) Hae consonantes permutantur, prout durius molliusve sonant, quod vitium frequens est in Mediceis Taciti codd. (C. Heraei stud. crit. p. 106 sq.); cf. Ribbeckii proll. ad Verg. p. 243.

3) Unum excitabo Alschefskium in ed. Livii praef. vol. III

potius pronuntiationis vitio permutantur a librariis, sed etiam in unciali scriptura litteras confusas esse statuunt, quae in minuscula tantum permutationi obnoxiae erant, velut *cl* et *d*, *n* et *u* cet., non reputantes aliam esse facultatem litteras permutandi aliis aetatibus et in aliis scripturae generibus, ut Boeckh sanissime iudicavit ad Pind. Ol. 2, 62 sq. *prout vitia antiquiora vel recentiora, alii ductus alios errores crearunt.* Iidem critici haud raro litteras permutatas esse volunt, ubi voces potius integrae, quae una alterave littera differunt, a librario confusae esse putandae sunt, cum non in singulas verbi describendi litteras attenderet speciemque alius vocabuli ex nescio qua memoria obiecti sequeretur. Hoc, quod significavi, genus criticorum cuncta miscentium optime illustrat H. Hagen qui a. 1879 libellum foras emisit magnifico titulo ('gradus ad criticen') ornatum, insigne documentum daturus furoris istius, quo omnis ars critica ad inanem frivolumque litterarum lusum devocatur. Is vir doctus vitia in codicum Bernensium glossariis non unius solum aetatis admissa in priore parte libelli inscripta *literarum singularum permutationes* (p. 1—75) ita digessit, ut — incredibile lectu — paene unamquamque litteram cum qualibet alia permutari faciat, nullo modo separatis oculorum erroribus a pronuntiationis vitiis nec ulla ratione habita diversorum generum scribendi atque condicionum, ridicule saepius in explicandis pervagatissimis librariorum mendis

---

p. XV hoc ex scriptura unciali repetentem, cui non multum cedit explicandi perversitate Gitlbauer, cum in libello 'de codice Liviano vet. Vindobonensi' p. 75 scripturam codicis (42, 13, 12) *novis* pro *nobis* ex compendio *nis* prave expleto ortam iudicet. Paene pudet exemplis probare harum consonantium confusionem oris vitio natam, quam Afrorum maxime culpae veteres grammatici tribuunt.

errans nec in ipsis exemplis, quae ponit, satis fidus[1]), ita ut non satis possint deterreri ab huius libri usu, quibus artem criticam discere cordi est. Quod ut paucis demonstrem, alio mendo *exerati* pro *exerciti* (l. c. p. 2), alio *discensione* pro *discessione* (ib. p. 48) nascitur: illud ex litterarum *a* et *ci* in minuscula scriptura similitudine, hoc ex pronuntiandi neglegentia; v. quae supra p. 23 sq. de *ns* et *ss* confusis exposuimus. Rursus diversis causis p. 45 *n* pro *m* legitur in *dono* pro *domo* et *adorendat* pro *odorem dat:* neutrum litteris *n* et *m* legendi errore permutatis evasit, quod Hageno videbatur, sed alterum plenarum vocum confusione, alterum ea, quam supra p. 24 sqq. fusius adumbravimus, scribendi consuetudine.

---

1) Velut quod p. 25 glossam, quae est *fariolus, vates* excitat ad demonstrandam litterarum *f* et *h* confusionem, prave mutans *hariolus* (cf. Loewe, Prodr. corp. gloss. lat. p. 10), vel quod glossa sanissima *inprolis, nondum vir* (cf. Mar. Vict. p. 20 K: *improles est, qui nondum vir est*), postquam temptavit scribendo *inpubis,* utitur ad probandas litterarum *b—l* (p. 39) et *u—ro* (p. 59) permutationes. Haud pauca praeterea litterarum confusarum exempla, quae Hageno videntur, nulla sunt, cum prava emendatione nitantur, velut p. 4 glossema, quo saepius exemplo utitur, *iam parvi tenebant, iam ad terram veniebant* emendandum erat *iamque arva tenebant* (*iamq. arva,* spectat ad Verg. Aen. 2, 209; Hagen: *iam portum ten.*); ib. p. 38 in *linio solatio, cenoso stagno* latet non *lutoso loco,* sed *limoso lacu* (Verg. Aen. 2, 135); p. 57 in *feratas crudes, contos ferro praefixos* non *ferratas sudes,* sed *f. trudes* (Aen. 5, 208); p. 3 *vocificantibus, dona libantibus* est *votificantibus* cet. (cf. Forcellinium s. v. *votifico;* Hagen: *vota figentibus*); p. 22 *deniger, adulter* videtur emendandum *degener, ad.* (= unecht; Hagen: *doniger*); p. 40 *ab imo, delosum* est *ab imo, deorsum* (hoc vulgari more scriptum *diosum,* de quo v. Lachmann ad Lucr. p. 144, errorem genuit; Hagen: *de susum*); p. 60 *mensare, saepius mingere* latet *minsare* cet., de quo verbo v. Hildebrand gloss. Lat. p. 208 no. 108.

Sic plurima alia ad pronuntiandi potius quam legendi errores pertinent, velut in eodem libro p. 29 sq. aspiratio detracta addita inserta (cf. nos p. 40 sqq.), p. 25 *ex* pro *s* impuro scriptum (cf. nos p. 39), p. 28 *g* pro *i* in *magestas* (cf. Schuchardt l. c. I, 69 sq.), p. 45 *n* pro *m* in *exentus* (cf. nos p. 24), confusa *a* et *au* p. 1. 7 (cf. Schuchardt II, 306 sq.), *b* et *v* p. 9 sq. 68 sq., *ct* et *t* et *tt* p. 16 (cf. nos p. 29 sq.), *di* et *z* p. 18. 28 (Schuch. I, 67 sq.), *l* et *r* p. 40. 56 (cf. nos p. 62), *qu* et *c* p. 55 (cf. nos p. 69) aliaque multa, quae taedet singillatim persequi. Similem rationem parum criticam ostendit O. Keller in indice ad epilegg. Horat. composito (p. 839 sqq.), et ex parte etiam O. Ribbeck in prolegg. ad Vergil. p. 238 sqq., quamquam hic edoctus Schuchardtii utili libro, quod saepius laudavimus, complura librariorum menda ad pronuntiandi potius neglegentiam recte retulit, haud paucis tamen erroribus relictis, cum primo tantum illius libri volumine ei uti liceret.

Caute igitur diligenterque secernendae sunt errorum causae neque in unam, ut aiunt, copulam coniciendae, qua in re pudendam nuper incuriam inscientiamque prodidit e criticis Livianis Harant Gallus in libro adnotationum et emendationum ad T. Livium (Parisiis a. 1880) multa coniectans, quae ut a prorsus perversa mendorum aestimatione[1]) profecta statim ab initio reicula sunt. Nos, ut tandem aliquid certi habeatur de eo errandi genere, quod in similium litterarum permutatione versatur, scriptionem uncialem, quae est in duobus vetustissimis codd. Livii Puteaneo et Vindobonensi, sumpsimus indeque exempla quam minime dubia petiimus. Quae iam sumus in brevi

1) Cf. quae H. I. Mueller Ztschr. f. d. Gymn. XXXV, Jahresber. p. 168 monuit.

conspectu posituri, adhibitis hic illic aliis eiusdem aut inferioris aetatis codicibus.

---

*A* et *X* litterae non dissimilibus ductibus exarantur in scriptura unciali, ut capitali et maiuscula, velut in Plauti Ambrosiano, cuius duobus locis (Trin. 1051 et Epid. 1, 2, 62) Ritschl *IA*, Geppert *EX* legit. Inde permutationi sunt obnoxiae, cuius testimonia haec habeo:

Liv. 25, 21, 8 *dua* pro *dux* scriptum, quod idem vitium reperitur 27, 49, 2 et 28, 16, 6;
26, 6, 13 *media* = *medix;*
26, 37, 3 *ara* = *arx*, ut 23, 30, 7 *aras* ex *arxs* (de qua scriptura v. supra p. 37 sq.) et Flor. p. 31, 5 (ed. Jahn) in Nazariano cod. *arasset* natum est ex scriptura archetypi *arxset* pro *arx et;*
ib. 51, 10 *ediaerat* = *edixerat;*
ib. § 8 *data* = *dux*, confusis insuper *AT* et *U* litteris, de quo cf. 23, 30, 11 *puris* = *patris*, ib. 36, 3 *duo* = *dato*, ib. 31, 15 *novendiue* = *novendiale*; Ter. Hec. 649 in Bemb. *pater* = *puer;*
28, 7, 17 *uaeas* = *Oxeas*: in archetypo nescio an fuerit *uxeas.*

Saepissime sic *ea* pro *ex* exaratum invenitur, velut Liv. 25, 11, 9. 23, 22, 11 (in duplici lectione *ea ex apulia* = *ex Ap.*, v. supra p. 62); 42, 5, 7. 45, 25, 1 (*eacesserunt* = *excess.*); item in Bobiensi Frontonis p. 87 (ed. Naber), in Oblongo Lucretii 2, 791. 932. 3, 582. 6, 596 (*easangui* = *exsangui*), ib. 385 (*eatulerit* = *extul.*), in Nazariano Sen. ben. 5, 22, 2 *eaprobabo* = *exprobrabo*, 7, 20, 4 *ea cavernis* = *ex cavernis* (sic recte Gertz; vulgo *e cav.* scribunt). E contrario *ex* pro *ea* scriptum est in Put. Liv. 22, 22, 10.

23, 38, 12[1]). 48, 11. 24, 29, 3; in Vind. 42, 21, 8; in Oblongo Lucr. 2, 902. 6, 320.

Denique ex harum litterarum confusione explicandum duco, quod Tac. hist. 4, 12 in Med. legitur *iuuata sit an* pro *iuxta sitam* (in arch. fuisse videtur *iuatasitam*) et Liv. 10, 8, 8 in Leidensi primo *secatius* pro *Sextius*, quod in archetypo scriptum fuisse puto *secxtius* eodem more, quo *ucxor, vicxit* cet. in titulis legitur codicibusque medii aevi (Tac. hist. 4, 80 Med. *ancxius;* Cic. Att. 16, 5, 2 Med. *perspecxisses*; cf. Ribbeckii prolegg. ad Verg. p. 391).

*A* et *D* litterae in unciali scriptura permutatae inveniuntur paucis, sed certis exemplis, velut Liv. 28, 28, 11 *ductoribus* = *auctoribus*; 44, 43, 4 *vide* = *viae;* 42, 60, 1 *ac* = *DC* (i. e. *sescenti;* cf. supra p. 52). Inde explico, quod Liv. 24, 43, 9 in Put. scriptum legitur *auxiliis* pro *duxit*: hoc enim solum inesse in ea lectione Weissenborn olim sano iudicio sensit; ubi semel *duxit* in *auxil* abiit, librarius aliquis truncum, qui videbatur, explevit scribendo *auxiliis.* Dolendum quam maxime est Weissenbornium postea bene inventum suum corrupisse, cum prava maioris fidei opinione ductus suadente Alschefskio terminationem, quae est *iis* in corrupto *auxiliis,* ad insequentis sententiae principium traheret scribendo *duxit. iis comitiis perfectis,* quod placuit H. I. Muellero et, qui *his* pro *iis* maluit, Hertzio. Pronomen adiectum plane abhorrere a Liviana elocutione postquam Madvig monuit, larga exemplorum copia illustravit Maur. Mueller (nov. ann. phil. vol. CXXIII p. 679 sq.), praeter quem nuper etiam Zingerle locum ex priore Weissenbornii coniectura dedit.

---

1) *Ex* in Put. manifesto extat prima manu scriptum, *haec* aliena manu correctum, quod non bene praetulerunt Weissenborn, Madvig aliique prae Gronoviano *ea,* quod recte nuper revocaverunt H. I. Mueller et Zingerle.

*B* hic illic visum est *IS*. Cuius permutationis exempla rursus ut rara, ita certa sunt, velut quod Liv. 26, 22, 3 in Put. est *turisa* pro *turba* et 23, 16, 7 *iniurise* pro *in urbe*[1]) (cf. 30, 39, 6 Bamb. *galisa* = *Galba*). Quodsi recte statuimus, vix dubium erit, quin 21, 62, 7 mira lectio Puteanei *urissis* (pro *urbs*), quae haud paucis viris doctis scrupulum iniecit, eo depravata sit, quod *IS* pro *B* olim exaratum erat.

*B* et *R* in codice Put. nonnumquam confusa inveniuntur, ut

22, 47, 8 *ibruentibus* = *irruentibus*; 25, 24, 14 *absura* = *arsura*; 26, 34, 8 *apopulob* = *a populo R.* (= *Romano*); 27, 31, 9 *inurbemebat* = *in urbem erat*; ib. § 11 *ardymis* = *ab Dymis*; 29, 9, 12 *abiba* = *ab ira*; ib. 17, 10 *ire* = *ibi*, quod in archetypo *ibe* scriptum fuisse videtur eo more, quem supra p. 82 attigimus.

Cf. Verg. Aen. 9, 158 Med. *procurate* = *procubate*; georg. 2, 439 *ornoxia* = *obnoxia*; ib. 2, 313 Pal. *revibescere* = *revirescere*. V. Ribbeckii prolegg. p. 451.

*C* et *E* litterae, cum haec ab illa solo medio differret, facile permutari potuerunt iam in unciali scriptura. En

22, 7, 10 *dispraeti* = *distracti*[2]); 23, 5, 5 *adeannas* = *ad Cannas*; ib. 11, 6 *eura* = *cura*; ib. 13, 3 *ae* = *ac* (ut 22, 13, 3. 26, 13, 9); 24, 1, 9 *elam* = *clam*; ib. 15, 7

1) Hunc locum sanatum palmari Weissenbornii (ann. phil. vol. XXXI p. 199) emendatione, quam recentiores editores ad unum omnes secuti sunt, in exemplorum numero collocare non dubitavi, quamquam nuperrime Harant l. c. p. 94 ut multo lenius remedium *intus in se* commendavit.

2) Hanc Weissenbornii coniecturam olim vel ab ipso inventore spretam merito novissimi editores revocaverunt praeter Harantium, qui vulgatam lectionem male latinam retinuit *tot in curas dispertiti animi eorum erant*. Usus loquendi intellegitur ex his

*numida concurrissent* = *Numidae occurrissent* (archet. *numidacoccurrissent*); 25, 3, 4 *arca* = *area;* ib. 11, 16 *ineampo* = *in campo;* ib. 16, 22 *graechum* = *Gracchum*, ib. 20, 4 *graeco* = *Graccho* (*gracco*); ib. 23, 5 *converterit* = *eo verterit* (arch. *coverterit*); 26, 30, 3 *mareelli* = *Marcelli;* ib. 39, 11 *areis* = *arcis;* ib. § 15 *quinetiusserat* = *quinctius erat;* 27, 2, 9 *dici* = *diei;* ib. 7, 13 *quaeannenses* = *qua Cannenses;* 28, 7, 18 *aearnanum* = *Acarnanum;* ib. 19, 7 *sincira* = *sine ira;* ib. 33, 6 *infimaelivi* = *infima clivi;* 29, 7, 4 *seanderet* = *scanderet;* ib. 27, 7 *diseussa* = *discussa;* 30, 6, 4 *neelecta* = *neclectas* (*negl.*); ib. 30, 6 *itahac* = *Italiae* (*h* et *li* litteris insuper confusis; v. infra p. 108).

42, 43, 7 *eoacta* = *coacta;* ib. 60, 5 *eastra* = *castra;* 44, 11, 4 *intereluderet* = *intercluderet;* ib. 12, 2 *proco* = *pro eo;* ib. 23, 3 *pantaueus* = *Pantaucus* (*Pantauchus*); ib. 32, 9 *histiacus* = *Histiaeus;* 45, 7, 4 *eomite* = *comite;* ib. 43, 10 *dyrraeinhis* = *Dyrracinis* (cf. supra p. 41); 42, 29, 10 *fretae* = *fractae*, quod in archetypo depravatum fuisse videtur *fraetae;* ib. 42, 1 *pycleon* = *Pteleon:* in archet. nescio an fuerit *picleon*, *t*—*i* et *c*—*e* litteris confusis.

Saepissime sic *eum* pro *cum* iam in his codicibus legitur, ut 23, 26, 5. 24, 23, 8. 24, 2. 48, 4. 25, 11, 8 (*modieum* = *modicum*); ib. 27, 5. 27, 45, 3 (*quantumeumque* = *quantumcumque*); 29, 34, 10 (*eumposito* = *cumposito* = *composito;* v. supra p. 65); 44, 2, 12. 45, 5, 4. 20, 9. 37, 4. — Vicissim *cum* pro *eum:* 24, 14, 7. 29,

---

locis: Tac. ann. 4, 40 *cum in omnes curas distraheretur*; Amm. 20, 1, 1 *distractus in sollicitudines varias*, 16, 3, 8 *scindebatur in multiplices curas*, 22, 10, 1 *distrahebatur multiformibus curis;* Tac. ann. 2, 40 *Tiberium anceps cura distrahere*; Liv. 26, 5, 1 *Hannibalem diversum . . . trahebant curae.*

11, 12. 30, 13, 5. 42, 2, 1. 11, 5. 37, 2. 43, 8, 8. 44, 39, 7. 45, 11, 5. 21, 2. 37, 5. 44, 19.

Siglis quoque confusio earum litterarum nocuit, velut sigla, quae est *SC.* (= *senatus consultum*) hic illic in *se* abiit: 25, 5, 9. 30, 26, 12 (item Cic. Phil. 10, 6, 13 in omnibus codd. praeterquam in Vaticano). Frequentius etiam sigla *cos*, qua *consulis* nomen per omnes casus numerosque notabatur, habita est *eos*, ut 23, 31, 8. 28, 40, 8 (idem vitium accidit 30, 44, 13 in Bamb.; Cic. Att. 7, 9, 2. 3. 14, 6, 2 in Med. cet.); e contrario *cos* pro *eos* habemus Liv. 44, 42, 2, unde non mirum in cod. Erfurtensi Cic. har. resp. 22, 46 explicatam notam *consulem* pro *eos* pronomine inveniri.

Iam vero vides, quam praepropere iudicaverit O. Keller in epilegg. Horat. p. 142 ad scripturam famosi codicis Gothani *volucre* (pro *volvere* Hor. od. 2, 9, 22) adnotans 'die vielgefeierte Hs. ist aus einem Minuskelcodex geflossen, wo *c* und *e* sehr ähnlich waren'.

*C—O.* Eadem littera *C* in unciali scriptura saepe ita conclusam rotunditatem praebet, ut ab *O* non facile discerni possit. Inde *o* pro *c* exaratum videmus his locis:

24, 3, 2 et 8 *aros* pro *arcs*, i. e. *arx.* Quod enim Linker (nov. ann. phil. vol. LXXXIX p. 720) ex codicis lectione concludit formam nominativi *arcis* Livium posuisse, nec constat quidquam de ea forma et palaeographiae rationes magis persuadent *arcs* in archetypo fuisse, de qua scriptura supra p. 30 sq. egimus.

ib. 42, 8 *oapto* = *capto;* 25, 37, 13 *haeo* = *haec;* ib. 11, 5 *eo* = *nec* (cf. Verg. georg. 2, 317 Pal. *neo* = *nec*); 27, 6, 7 *cumo* = *cum C.* (i. e. *Gaio*); 28, 8, 11 *oenotris* = *Cenchreis.*

Quae cum ita sint, non dubito quin recte O. Riemann Liv. 24, 2, 7 in codicis Put. lectione *neceo* nihil

aliud latere nisi *nec* suspicatus sit (in archetypo potest fuisse *neo* [ec]), non quod vulgatur iusto audaciore coniectura *nec enim*.

Cum his exemplis conferas velim Verg. georg. 4, 48 Palatini cod. lectionem *canoros* pro *cancros*; Oblongi Lucr. 1, 1019 *oreasset* = *creasset*; Med. Cic. Att. 16, 2, 4 *foro illa* = *furcilla*; Med. Tac. ann. 1, 49 *oremari* = *cremari*; Colbertini Liv. 30, 33, 3 *eat uno* = *ea tunc* cet.

*C* et *T* confunduntur in unciali scriptura, cum interdum *C* magis recta quam rotunda linea depingatur, *T* paulo rotundiorem formam habeat. Inde ortae sunt hae scripturae:

22, 55, 6 *sicut* = *sit ut*; 23, 9, 2 *praetor* = *precor* (*praecor*, ut 43, 13, 12 *praeter* = *precer*); ib. 22, 8 *incertam* = *inter tam*; 24, 24, 5 *acrocior* = *atrocior*; ib. 28, 4 *trahancres* = *trahant res*; ib. 46, 6 *disposicos* = *dispositos*; 25, 7, 3 *videretur* = *videre cur*; ib. 22, 3 *mecum* = *metum*; 26, 12, 19 *mulcati* = *multati*; ib. 24, 15 *tontribuit* = *contribuit*; ib. 25, 8 *artem* = *arcem*; 30, 5, 2 *continuisset* = *concinuisset*.

41, 17, 3 *cota* = *tota*; 42, 7, 3 *statellaci* = *Statellati*; ib. 14, 1 *turia* = *curia*; ib. 25, 10 *cum* = *tum* (idem vitium § 12. 29, 2); ib. 31, 8 *alceras* = *alteras*; ib. 55, 1 *achamaniam* = *Athamaniam*; ib. 58, 4 *porcis* = *portis*; 43, 3, 3 *proficerentur* = *profiterentur*; 44, 16, 6 *decerrere* = *deterrere*; ib. 26, 1 *auc* = *aut*; 45, 26, 8 *laecum* = *letum* (*laetum*); ib. 29, 6 *tis* = *cis*[1]). — Liv. 23, 17, 7 harum litterarum permutationem supplendi conatus librarii cuiusdam secutus esse videtur. Nam quod ibi codices exhibent:

---

1) Gitlbauer l. c. p. 99 n. hos errores ex nescio qua prava pronuntiandi ratione ortos esse statuit.

*Hannibal, ne quis tam propinquis hostium castris Capuae quoque orerecurrunt, exercitum ad Casilinum ducit*, in corruptis verbis *orerecurrunt* nihil latere puto nisi *oreretur;* quod cum lectum esset *orerecur* (cf. Verg. Aen. 2, 439 Palatini codicis lectionem *morerecur* pro *moreretur*), librarius aliquis litteris non recte distinctis ex *ore recur* supplendo effecit *ore recurrunt.* Necdum persanata evadit oratio reposito *oreretur:* nam ad pronomen *quis* desideratur substantivum aliquod. Ea vero quaestio mihi omnino seiungenda ab altera videtur ideoque non in litteris *runt* illud substantivum delitescere iudicandum, sicut Fabri, H. I. Mueller, Zingerle vestigia vocis *tumultus* agnoscere sibi visi sunt. Nova igitur quaestio eaque difficilis ad diiudicandum exoritur, scilicet quod substantivum generis masculini quo loco intercidisse statuendum sit. Sed nec de substantivo ipso nec de sede eius quicquam pro certo poterit affirmari. Pluribus placuit editoribus quod I. Fr. Gronov proposuit *oreretur motus,* Livianae dictionis memor, quae maximopere suadet substantivum *motus.* Cf. 23, 16, 7 *priusquam aliqui motus in urbe oreretur;* 29, 12, 5 *ne qui motus maior in finitimis gentibus populisque oreretur;* 34, 26, 4 *ne quid novi motus oreretur*, ib. 27, 3 *ne quid intestini motus oreretur;* 3, 49, 8 *ne quid Verginii adventus . . . motus faceret;* 9, 43, 1 *in Samnio novi motus exorti;* 23, 10, 10 *motu aliquo Capuae orto;* 24, 27, 4 *motus . . . orti.* Quod ex Fabrii coniectura Hertz, H. I. Mueller, Zingerle scripserunt *oreretur tumultus*, et ipsum non incommodum est; cf. 4, 45, 4 *ne quid novi tumultus Labicis oreretur;* 23, 7, 8 *ne quid inter vim . . . tumultus oreretur.* Rursus alii *tumultus* ante *tam propinquis* addere maluerunt, alii alia alibi, quae nullam habent probabilitatem (ut *rumor, terror*). Sed haec omnia in incerto sunt: certe forma pronominis *quis* sub-

stantivo adiuncta, in qua nonnullos haerere video, nihil habet offensionis, coll. Liv. 5, 41, 5 *ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret;* Cic. Att. 11, 6, 2. Caes. b. g. 6, 5, 2. 9, 5. V. Neue, Formenlehre der lat. Sprache II², 221 sq.

Ex antiquis Vergilii codicibus exempla huius confusionis congessit Ribbeck prolegg. p. 241; ipse enotavi ex Veronensi rescr. Liv. 5, 41, 2 *censas* pro *tensas*, ex Bobiensi rescr. Frontonis p. 131 *inluscrentur* — *inlustrentur*.

*C* et *G* in scriptura maiuscula et unciali permutationi obnoxia fuisse, cum *G* littera plerumque brevissima virgula exararetur, vix est quod exemplis monstretur. Attendendum autem est ne sonum quidem dissimilem habuisse antiquitus eas litteras; v. quae Schuchardt l. c. I, 123 sq. de ea re disputavit. Duplex igitur erat librariis veteribus facultas has litteras permutandi.

*D* et *A* litterae confusae: v. supra p. 99 sq.

*D* et *O* litteras non mirum est inter se commutari in unciali scribendi genere: nam et ð littera ibi saepius brevi cauda superiore (ð) exaratur ad similitudinem O litterae et O littera interdum caudam similem superne pictam habet, velut in codice Livii Vindobonensi. En exempla eius confusionis:

Liv. 25, 22, 9 *edeventu* — *eo eventu;* 26, 7, 9 *adio* — *ad id;* ib. 31, 3 *inoindignarentur* — *indignarentur* (in archet. fuit *inoignarentur;* v. p. 63); ib. 47, 8 *horosi* — *hordei* (*E* et *S* insuper confusis; v. infra p. 106 sq.); 27, 20, 3 *hauo* — *haud;* ib. 31, 4 *edmagis* — *eo magis;* 28, 1, 5 *liauo* — *haud*, ubi accedit frequens litterarum *h* et *li* permutatio (v. p. 108); ib. 9, 15 *undequo* — *uno equo;* ib. 18, 6 *ingenio exteritas* — *ingeni dexteritas;* ib. 27, 1 *adidquerer* — *adloquerer* (*I* et *L* insuper confusis); ib. 29, 7 *desalce* — *Oesalce;* ib. 39, 8 *turoilis* — *Turdulis*.

Hinc repeto quod in Oblongo Lucr. 4, 577 legitur *videreodore* pro *vidi reddere* et in Med. Verg. Aen. 10, 123 *hicetadnius* pro *Hicetaonius*.

Pro *D* littera facile *S* legi poterat, si solito apertior erat, *S* rursus *D* haberi, si paulo clusior erat. Inde frequenter in codd. permutantur *quod* et *quos*: hoc pro illo habetur Liv. 22, 50, 12. 57, 7. 29, 1, 13 cet., illud pro hoc 29, 14, 4; *quis* pro *quid* 21, 49, 8. 42, 26, 6.

23, 34, 8 *datis* = *satis*; 27, 16, 9 *seditionem* = *deditionem*; 29, 6, 12 *dubita* = *subita*; 25, 32, 2 *isid* = *id* (lectio duplex est; v. supra p. 63).

42, 25, 12 *senuntiasse* = *denuntiasse*; ib. 38, 2 *datis* = *satis*; ib. 46, 3 *assederunt* = *addiderunt*, quod in archetypo nescio an scriptum fuerit *addederunt*[1]).

41, 20, 3 *sede* = *sese*, quod vulgatur, quamquam nuper Gitlbauer l. c. p. 83 maluit *sede* ex genuina lectione *se* auctum esse, nescio cuius compendii specie librario obiecta.

*E* et *C* litterae confusae: v. supra p. 98 sqq.

*E* et *F* in maiuscula et unciali scriptura saepius nullo fere momento discerni in antiquissimis codicibus pridem observatum est, velut ab Angelo Maio, Kreyssigio (ad Sall. hist. III frgt. p. 51) aliisque. Sic *E* pro *F* legitur his locis:

Liv. 22, 30, 9 *eamfamam* = *famam*: in archetypo fuit *eamam* (v. supra p. 61 n.).

25, 2, 1 *lemasso* = *C. F. Masso*.

ib. 12, 4 *eactam* = *factam*.

---

1) In titulis tales scripturae crebro inveniuntur, velut apud Orellium no. 6087 *reddedisse*; cf. Schuchardt l. c. II, 9. Hertzii commentum *asseveraverunt* iusto longius discedit a codice nec aptum verbum habet.

26, 24, 12 *eorum* — *fore* (in archet. videtur fuisse *eore* indeque interpolatum *eorum*).

27, 36, 9 *eidem* — *fidem* (contrarium mendum correxit Vahlen Cic. legg. 2, 19, 47); 41, 2, 3 *eorum* — *forum:* idem vitium sustulit Turnebus Cic. legg. 2, 24, 61, contrarium ib. 2, 14, 34 Madvig (opp. acad. II, 149). Cic. Phil. 7, 2, 5 omnes codd. praeter Vaticanum *forum* pro *eorum* exhibent; ib. 6, 16 solus Vatic. verum servavit *eorum*, reliqui libri aut *forum* aut interpolationem manifestam *fori* ostendunt.

Cf. Verg. Aen. 9, 185 Med. *eit* pro *fit*.

Tac. ann. 1, 34. 41. 4, 41 Med. *elexit* — *flexit;* ib. 3, 21 *eusti* — *fusti;* ib. 14, 16 *discordiae ruerettur* — *discordia frueretur*, quae est ingeniosa Bezzenbergeri coniectura.

Cic. legg. 2, 7, 16 codd. fere omnes: *ne easque su* pro *nefasque sit;* ib. Verr. 2, 1, 141 codd. *verum* pro *vafrum*, quod ex Asconio correxit Madvig de Asc. p. 103 n. (in archet. fuit *vaerum* pro *vafrum*).

Prop. 4, 11, 30 codd. *aera* pro *Afra* (correxit Scaliger).

Non minus frequenter *F* pro *E* exaratum apparet in codicibus, velut

Liv. 25, 9, 16 *etinfra* pro *itinera* (idem vitium occurrit in codd. 39, 1, 5; in arch. nescio utrum fuerit *itinfra* an *etinera*).

26, 11, 10 *ac freto* — *ab Ereto* et ib. 23, 5 *freti* — *Ereti;* eodem mendo 3, 38, 3 in compluribus codd. legitur *fretum* pro *Eretum;* 29, 12, 11 *afropo* — *Aeropo*.

30, 13, 7 *feredegerit* — *eo redegerit* (arch. *foredegerit*).

ib. 30, 10 *fraudaverunt* — *erudiverunt:* in archet. du-

bito an scriptum fuerit *eraudiverunt* eo more, quem Schuchardt l. c. II, 305 et Ribbeck prolegg. p. 420 illustraverunt[1]).

42, 30, 10 *differre* = *die ferre.*

45, 22, 4 *qui fuerunt* = *quieverunt*, ut 5, 51, 7 Veron. rescr. *qui fuit* = *quievit.*

Omnino saepissime *quiescendi* verbi perfecta tempora a librariis ita depravata sunt, ut inde *qui* pronomen et verbi *esse* perfecta fierent; cf. Madvig emend. Liv. p. 741[2]. 636. 724 et adv. crit. I, 30.

Cum his scripturis conferas velim:

Verg. georg. 1, 138 Med. *pifiadas* pro *Pleiadas;* ib. 3, 510 Pal. *fa* pro *ea.*

Plaut. Bacch. 4, 4, 108 codd. *fugiamus* pro *euge eamus* (in archet. fuit *fugeamus*); Tac. hist. 4, 50 *offensium* = *Oeensium* (archet. *ofensium*); ib. c. 71 *frigeret* = *erigeret;* ann. 1, 43 *fluant* = *eluant.*

Cic. Att. 6, 1, 18 *fratostenes* = *Eratosthenes;* 15, 20, 4 *fateres* = *ea te res;* 16, 1, 1 *cenantifros* = *cenanti Eros;* 12, 21, 4 *fors* = *Eros* (archet. *fros*).

Prop. 3, 24, 10 Neap. *fluere* = *eluere;* Hor. ep. 2, 1, 226 codex R apud Kellerum *forem venturam* = *eo rem venturam;* od. 3, 19, 3 codex B *faci'* (h. e. *faciet*) pro *Eaci* (i. e. *Aeaci*), adiecto pravo supplendi conatu.

*E* et *S* confusa reperiuntur in Puteaneo his locis: 22, 17, 3 *quaesatio* = *quassatio;* ib. 40, 4 *plebe* = *plebs;* 23, 22, 3 *senatuelectus* = *senatus lectus;* 24, 37, 2 *ares* = *arce* (*c* et *e* insuper confusis; v. supra p. 98 sqq.); 25,

---

1) Cf. Liv. 22, 52, 7 Put. *apaula* = *Apula*, ib. 57, 10 *formaula* = *formula*, ib. 60, 5 *locautus* = *locutus;* 42, 2, 1 Vind. *aultra* = *ultra*, 44, 26, 12 *suasauri* = *suasuri;* ib. 87, 9 *ulaulatus* = *ululatus.*

19, 17 *adse* = *adeo;* ib. 26, 11 *quaesgros* = *quae egros* (i. e. *aegros*); 26, 21, 14 *marcellast* = *Macella et;* ib. 34, 10 *posterius* = *posterive;* ib. 47, 8 *horosi* = *hordei* (v. p. 103); 27, 48, 6 *fidene* = *fidens;* ib. 23, 3 *ostis* = *ostie* (i. e. *Ostiae*); ib. 30, 11 *nudiusre* = *audivere;* 28, 13, 1 *romanie* = *Romanis;* ib. 21, 9 *rabis* = *rabie;* ib. 43, 1 *adolescentiae* = *adolescentis* (in arch. fuit *adolescentie*); 29, 4, 8 *etimularet* = *stimularet;* ib. 6, 17 *venisbat* = *veniebat;* 30, 28, 3 *eimilixa* = *semilixa* (arch. *similixa*).

Ex Vindobonensi huc pertinent: 42, 43, 9 *iismeniae* = *Ismenias;* ib. 47, 4 *improbieosque* = *improvisosque;* ib. 53, 5 *sordeam* = *Eordeam;* 45, 30, 6 *sordei* = *Eordei.*

In Vergilii quoque antiquis codd. hae litterae permutatae sunt, velut Aen. 7, 81 in Med. est *monetris* = *monstris;* ib. 12, 147 in Pal. *viea* = *visa;* ib. 7, 695 *fallecos* = *Faliscos.*

*F* et *E* litterae permutatae: v. p. 105 sqq.

*F* et *S* litterae hisce locis in Vindobonensi codice confusae sunt: 41, 12, 3 et 17, 5 *consecta* = *confecta;* ib. 13, 4 *pontusex* = *pontufex*[1]); 42, 25, 6 *famothrace* = *Samothrace;* ib. 32, 1 *forte* = *sorte;* ib. 48, 2 *maniseest-'enim* = *manifesta enim* (cf. supra p. 19); ib. 61, 5 *feminarium* = *seminarium;* 44, 13, 3 *bellosuisse* = *bello fuisse;* ib. 34, 9 *sinituros* = *finituros.*

Pro *G* aliquotiens *E* lectum apparet in codice Put., velut 23, 23, 2 *maeequit* = *mag(ister) equit(um);* ib. 24, 13 *maena* = *magna;* 24, 28, 9 *maenis* = *magnis;* 27, 31, 4 *eratius* = *gratius;* ib. 35, 7 *indieniores* = *indigniores* (cf. Verg. georg. 3, 27 Med. *ganearidum* = *Gangaridum*).

---

1) Haec forma antiquior in titulis frequens (Or. 2088. 2508) etiam in libris legitur, ut in Vind. 41, 27, 1, in Put. 25, 2, 1. 5, 2. 26, 23, 8. Cf. formam Plautinam, quae est *carnufex*.

Nonnumquam etiam *O* pro *G* lectum invenitur in eodem codice. En 23, 42, 5 *aculegemisso* = *aculeo emisso;* 24, 20, 13 *inpriore* = *inpigre* (correxit Weissenborn; in arch. fuisse videtur *inpiore*); 26, 6, 15 *adonoscentem* = *adgnoscentem;* 29, 5, 2 *albinoaunis* = *albingaunis.* — Cf. 45, 10, 13 *orata* = *grata;* Lucr. 6, 710 Obl. *contioitel* = *contigit ei.*

*G* et *S* non raro inter se permutantur, quarum litterarum similitudo vel inde apparet, quod Liv. 41, 24, 11 et 45, 9, 1 in Vindobonensi codice discerni nequit, utrum *inguriae* et *urbg* an *insuriae* et *urbs* habeat. En exempla eius confusionis: 24, 3, 8 *averga* = *aversa;* ib. 18, 2 *signunt* = *gignunt;* ib. 32, 1 *volsum* = *volgum;* ib. § 2 *senus* = *genus;* 25, 13, 18 *quacragunus* = *quaeras unus;* 23, 43, 4 *thragymenni* = *Trasumenni;* ib. 39, 3 *cōs. non* = *cognomen:* in archet. fuit, quod extat in Mediceo, *cos. nomen.* Eodem vitio 30, 45, 6 in Colb. est *cōs nomen* pro *cognomen* et 10, 3, 4 in Paris. *cōs nomine* pro *cognomine,* unde in interpolatis codd. factum est *consulis cognomine.* Ceterum v. supra p. 44 de hoc miro vitio.

Cf. 45, 25, 7 *isnominia* = *ignominia;* Verg. georg. 1, 387 Med. *sestire* = *gestire;* ib. Aen. 12, 733 Pal. *gubeat* = *subeat;* Grani Licin. frgt. p. 36, 3 (ed. hept. Bonn.) *euerseies* = *Euergetes:* illud enim manifesto scriptum legi in codice C. Pertz testis est.

*H* et *LI* litterae in unciali scriptura inter se permutari facile potuerunt. Sic codex Puteaneus exhibet: 23, 30, 3 *rohis* = *foliis;* 27, 42, 11 *liostis* = *hostis;* ib. 5, 10 *perarethium* = *Peparethum;* ib. 30, 8 *teh* = *teli;* ib. 44, 10 *liostium* = *hostium;* 28, 1, 5 *decemiliauo* = *decem haud* (cf. p. 103); 29, 21, 11 *liabeant* = *habeant;* ib. 25, 7 *scaplias* = *scaphas;* 30, 30, 6 *itahac* = *Italiae;* 23, 49, 2 *mihiia* = *militia.*

Quae cum ita sint, non dubito, quin 23, 8, 7 in verbis codicis misere corruptis varieque a viris doctis temptatis *filiusperholavinumpotui* latere *filius perlici ad vinum potuit* Heerwagen recte suspicatus sit, quam emendationem litteris ad Weissenbornium datis olim ab auctore significatam postea Maur. Mueller quoque et Harant (l. c. p. 92) invenerunt. Ex *perlici* litteris *h* et *li*, *c* et *o* (v. supra p. 100), *i* et *l* confusis in unciali scriptura nasci potuit *perhol*, non aeque facile ex *perpelli*, quod verbum ex Weissenbornii et Seyffertii coniectura hodie vulgatur, improbabile vel propter nimiam vehementiam. In emendando loco depravato multi aberraverunt, omnium longissime praeter solitum Madvig, contra artem scripturam codicis recentioris Berolinensis secutus *filius perpelli ad potandum potuit.* Nec Madvigium assequor negantem *perpellere* s. *perlicere ad vinum* latinum esse, cum Cicero dixerit *invitare ad vinum*, Plautus (Asin. 4, 1, 54) *accedere ad vinum*, ipse Livius 40, 7, 2 *benigna invitatio eos in vinum traxit* et 37, 7, 12 *in multum vini processerat.*

*I*, *T*, *L* in omnium fere aetatum atque characterum codicibus propter ductuum similitudinem inter se permutata sunt. Confunduntur sic *tam* et *iam*, *vi* et *ut*, *locus* et *iocus*, *deiectus* et *delectus*, *iubet* et *lubet*, unde interpolatio nata est 22, 51, 7 in Put. *libentes* pro *iubentes*, pro quo in archet. procul dubio scriptum fuit *lubentes*. Haec vix opus est exemplis probare, oblata tamen occasione earum litterarum confusione firmabimus atque ab oblivione immerita vindicabimus Rupertii speciosam coniecturam, qua locum corruptissimum, qui est Liv. 22, 31, 5, in integrum restituisse nobis videtur. Ibi in Puteaneo et Colbertino pr. m. scripta haec leguntur: *ad mille hominum cum iis Sempronio Blaeso quaestore amissum, classis ab litoribus hostium plenis trepide soluta in Siciliam cur-*

*sum tenuit.* Priorem sententiam omni structura carere patet: si illud *cum iis* in praesentia tenemus, debuit saltem *ad mille h., cum iis Sempronius Blaesus quaestor, amissum* aut *ad m. h., cum iis Sempronio Blaeso quaestore, amisso.* Et hoc quidem (*amisso*), quod restituit iam secunda manus cod. Colbertini ceterique meliores codices exhibent, fere omnes recentioris aetatis critici probaverunt. At praeterquam quod parum intellegitur, quomodo hoc loco *amisso* in *amissum* abire potuerit, vereor, ut omnino latinum sit *cum iis* praedicato non adiecto nec reliqua oratione mutata pro eo, quod est *in his* (Liv. 22, 49, 15; Caes. b. g. 1, 16, 5. 4, 12, 4. 5, 4, 2. 7, 3, 1; b. c. 1, 46, 4. 3, 4, 5. 19, 6; Nep. Eum. 5, 1 et Hann. 12, 2), *in iis* (Liv. 10, 20, 15. 32, 30, 12), *in quibus* (Liv. 1, 56, 7. 6, 20, 7. 29, 29, 1; *in quis* Tac. hist. 1, 88. 3, 77. 4, 71; Agr. 37; Vell. 1, 17, 5. 2, 19, 1), *inter quos* (Liv. 6, 20, 8. 14, 11. 24, 15, 2. 31, 2, 9. 33, 36, 5. 44, 16, 8. 36, 8 cet.; Curt. 4, 8 (34), 11. 6, 5 (17), 18), germanice *unter anderen, darunter.* Ea igitur mutatione, quae plerisque placuit (*amisso* pro *amissum*) nihil proficitur, cum resideat vitium in *cum iis.* Hic autem haerere aquam atque inde emendare conanti proficiscendum esse Douiatius et Ruperti intellexerunt, quorum ille *iis* abici iussit (*ad m. hominum cum Sempronio Bl. qu. amissum*) plausumque tulit nuper H. I. Muelleri et, ut videtur, Madvigii[1]). Optime sic latinitati consuli fatendum est: nunc enim recte habet *cum* praepositio, cf. 23, 35, 19 *caesa plus duo milia cum ipso duce Mario Alfio*, ut uno exemplo defungar. Nec vero tum facile explicari poterit, quomodo *iis* in textum irrepserit. Omnes igitur numeros habet Rupertii coniectura in his tribus litteris praenomen

1) Hic tamen in ed. III. praef. XII (cf. ib. p. 274) Douiatii et Rupertii coniecturas confundit.

Blaesi quaestoris delitescere suspicantis *Ti.* (minus bene idem *Tib.*) totumque locum sic legendum proponentis:

*ad mille h. cum Ti. Sempronio Blaeso quaestore amissum* cet.

Haec lectio evadit ex Puteanei codicis scriptura una littera mutata (*I*), una detracta (*S*, quae ante *sempronio* facile irrepere potuit), nec satis possumus mirari Rupertii commentum hodie quoque sperni ab editoribus[1]). Ceterum eandem lenem correctionem adhibitam videmus altero loco Liviano, 41, 12, 4, ubi ineptae codicis Vindobonensis lectioni *altero consule iis Sempronio* iam pridem substituta est vera, quae est *altero consule Ti. Sempronio:* eadem ibi et ansa et condicio corruptelae est.

*M* et *NT* frequentissime inter se confusa inveniuntur iam in codd. Puteaneo et Vindobonensi. Sic Put. praebet:

22, 49, 3 *mallent* = *mallem;* ib. 51, 2 *praecedan.* = *praecedam;* 24, 37, 11 *gravaremur* = *gravarentur;* 25, 38, 3 *essent* = *essem;* 26, 22, 14 *censeant* = *censeam;* 27, 12, 13 *ineum* = *ineunt;* 28, 19, 8 *ne* | *qui* | *sunt* | *quam* = *ne quis umquam* (cf. 3, 24, 4 cod. Veron. *aegerunt* | *quam* = *aeger umquam*); 29, 37, 14 *fecissem* = *fecissent.*

E Vindobonensi haec notavi:

42, 13, 3 *haberem* = *haberent;* ib. 27, 2 *essem* = *essent;* ib. 31, 1 *satisfecissem* = *satisfecissent;* ib. 35, 6 *iterent* = *item* (arch. *iter* with *em* written above; v. supra p. 82 sq.); ib. 37, 1 *obirem* = *obirent;* ib. 41, 1 *agant* = *agam;* ib. § 13 *coercuerint* = *coercuerim;* 43, 16, 2 *conduxissem* = *conduxissent;* 44, 2, 6 *intrarumnt* = *intrarunt* (arch. *in-*

1) Haec iam scripta erant, cum recentissimum editorem A. Zingerleum suadentibus Luchsio atque H. I. Muellero coniecturam, quae est inter elegantissimas Rupertii, revocasse vidi.

*trarum*[nt]); ib. 12, 3 *fugam* = *fugant;* ib. 28, 2 *tutaremur* = *tutarentur;* ib. 30, 4 *vidisset* | *antiquam* = *vidisse tamquam* (in arch. nescio an fuerit *vidissetantquam*); ib. 31, 7 *pepulissem* = *pepulissent.*

44, 33, 7 *perferuntdum* = *perferundum* et ib. 38, 11 *trepidantdum* = *trepidandum* nata puto ex archetypi scripturis *perferumdum* et *trepidamdum* (cf. 10, 5, 6 Par. *capiuntdum* = *capiundum*) nec aliter iudico de locis, qui sunt 42, 1, 11 et ib. 46, 4, de quibus v. infra p. 113 sq.

Cum his conferas velim:

Verg. Aen. 12, 515 Med. *cumulam* = *cumulant;* ecl. 3, 61 Pal. *tulerum* = *tulerunt;* Aen. 11, 640 *iollant* = *Iollam;* ecl. 8, 45 *puerunt* = *puerum;* plura e Vergilianis codd. exempla affert Ribbeck l. c. p. 249.

Lucr. 1, 104 Obl. *possum* = *possunt*, 4, 361 *tuantur* = *tuamur*, 5, 851 *primunt* = *primum*, 6, 120 *exierum* = *exierunt.*

Cic. legg. 3, 17, 39 codd. *vindicent* = *vindicem;* ib. Phil. 8, 3, 8 Vat. *sentium* = *sentiunt;* ib. fam. 6, 5, 5 Med. *vivum* = *vivunt*, Qu. fr. 2, 8, 1 *essent* = *essem*, Att. 12, 22, 1 *possunt* = *possum*, 13, 10, 3 *sum* = *sunt*[1]).

Hac observata confusione nescio an subvenire possimus loco misere deformato, qui est Ciceronis ad Att. 1, 19, 2, in codice Poggiano (nam Mediceus hic deficit) a Th. Mommseno collato sic traditus: *haedui fratres nostri pugnant pueri in alam pugnarunt et sine dubio sunt in armis excursionesque in provinciam faciunt.* Scripsisse Ciceronem *Aedui fr. nostri pugnam nuper malam pugnarunt et ⟨Hel-*

1) Ceterum in minuscula quoque scriptura *m* et *nt* litteras confundendi ansa fuit.

*vetii⟩ sine dubio sunt in armis* cet. nobis persuasum est[1]). Spectant priora ad Sequanorum et Arvernorum ante Caesaris in Galliam adventum cum Aeduis contentiones pugnamque apud Admagetobrigam factam, in qua flos iuventutis Aeduorum occidit, posteriora manifestum est ad Helvetios Orgetorige duce magna mole finibus suis excedere parantes pertinere, quod Cratander cum intellexisset, recte Helvetiorum nomen inseruit, quamquam in reliquis emendandis longe aberrans. *Pugnam malam*, h. e. *adversam*, dixerunt Sallustius Iug. 56, 3 (*post malam pugnam*), Cicero de div. 2, 25, 54 (*ante Lacedaemoniorum malam pugnam in Leuctris*), Tacitus hist. 5, 14 (*post malam in Treveris pugnam*), Suetonius Calig. 51 (*nuntio malae pugnae perterritus*); cf. *male pugnare* Liv. 3, 4, 9. Sall. Iug. 54, 7 (*proelium male pugnatum*). 102, 2. Ad extremum non desunt figurae, quam vocant, etymologicae exempla (*pugnam pugnare*); cf. Sall. Iug. 54, 7 *proelium male pugnatum;* Cic. p. Mur. 16, 34 *pugna, quae summa contentione pugnata est;* Nep. Hann. 5, 1 *hac pugna pugnata;* Hor. od. 4, 9, 19 *pugnavit . . . dicenda musis proelia;* Liv. 9, 37, 11 *eam tam claram pugnam . . ad Perusiam pugnatam;* 40, 52, 6 *ea pugna pugnata.*

*M* et *NI* rarius permutantur:

Liv. 29, 20, 6 *tribū* i. e. *tribum* = *tribuni;*

ib. 37, 10 *Claudiunium* = *Claudium* (latet duplex lectio, de qua v. supra p. 63);

45, 26, 15 *agravomtas* = *Agravonitas;*

42, 1, 11 sive *faciunidum* sive *faciuntdum* et

1) Postquam haec scripsi, video in novissimo volumine adversariorum criticorum Madvigium eandem fere emendationem proposuisse. Sed quod inauditi usus adiectivum *permalam* ex corruptis utique verbis *pueri in alam* elicuit, non satis considerate vir doctus egisse videtur (C. Heraeus: *pernicialem* coll. Plin. n. h. 8, 5, 13).

ib. 46, 4 sive *depraecanido* sive *depraecantdo* in codice est — variant enim, qui codicem excusserunt —, errorum originem repetendam esse statuo ex scripturis *faciumdum* et *depraecamdo*, de quibus supra p. 24 sqq. fusius disputavimus[1]). Ceterum cf. etiam p. 112 (*perferuntdum.*)

*P* et *R* maiusculo et unciali charactere exaratas summam similitudinem habuisse necesse est: adeo frequenter in antiquis iam codd. inter se permutantur. Habes *P* pro *R* scriptum hisce locis:

Liv. 22, 24, 4 *petētis* h. e. *petentis* — *retentis;* 24, 2, 9 *paras* — *raras;* ib. 8, 13 *pesumus* — *re sumus;* 26, 33, 9 *Capthaginiensium* — *Carthaginiensium.* — 42, 54, 6 *cyptonem* — *Gyrtonem;* 44, 28, 10 *prope* — *prorae* (in arch. fuit *prore;* idem vitium 37, 30, 4 Crévier sustulit).

Cf. Fronto p. 37 (ed. Naber) Bob. rescr. *abriperete-prae* pro *abripere terrae;* Tac. ann. 3, 54 Med. *prope publica* — *pro re publica;* Lucr. 6, 862 Obl. *para* — *rara* cet.

Vicissim *R* pro *P* exaratum est:

Liv. 26, 26, 10 *prore* — *prope;* 27, 28, 5 *salariam* — *Salapiam;* ib. 48, 5 *credebaturse* — *credebat ipse;* 41, 22, 2 *aesculari* — *Aesculapi.*

Cf. Fronto p. 35 *calcarequossubringo* pro *calcar equo subpingo;* Verg. georg. 2, 389 Pal. *rinu* — *pinu;* Aen. 1, 715 *perendit* — *pependit;* 9, 476 *rensa* — *pensa;* georg. 3, 34 Rom. *rarii* — *Parii;* Aen. 3, 689 *Tharsum* — *Thapsum* cet. V. Ribbeck l. c. p. 252.

*U* et *II* in unciali scriptura facile confunduntur, unde e. g. factum est, ut Liv. 23, 8, 7 in Colbertino

1) Aliam explicandi rationem iniit Schuchardt l. c. II, 460 *i* vocalem (*depraecanido*) pronuntiationis vitio consonantibus interiectam censens.

codice *viniimpotuit* extet pro eo, quod in Puteaneo codice, illius fonte, recte legitur *vinum potuit*. Exempla eius confusionis praebet ipse Puteaneus:

21, 26, 11 *amusiciis* = *Amusicus;* 23, 9, 1 *suam* = *si iam;* 24, 5, 7 *adranodoriis* = *Adranodorus;* 25, 26, 10 *iit* = *ut;* 26, 14, 4 *complexii* = *complexu;* 27, 42, 8 *sepeliruyssit* = *sepeliri iussit;* 28, 39, 6 *corneliumperatores* = *Cornelii imperatores.*

Cf. 45, 28, 9 Vind. *dieuter* pro *diei iter* et 42, 1, 6 *adiicere* pro *adducere* vel *ducere;* nam de *ducendi* verbo nulla est dubitatio.

Nusquam harum litterarum confusio, quae in minuscula quoque scriptura ansam habebat, frequentius accidit quam in Mediceo codice Ciceronis epistularum. En

Cic. Att. 2, 11, 2 *iisque* = *usque;* ib. 4, 7, 1 *durati* = *di irati;* 6, 1, 3 *usum* = *ii suum* (arch. *usuum* s. *iisum*); ib. 8, 5 *mei iocant* = *me vocant;* 8, 6, 3 *dum mortales* = *di immortales;* 13, 42, 1 *quo uter* = *quoi iter;* ib. 50, 1 *sumpsi* = *si ipsi* (arch. *supsi*); 14, 22, 2 *et sulli* = *etsi illi;* 15, 21, 1 *si bullum* = *sibi illum;* 16, 3, 1 *tibi iri* = *Tiburi;* ib. 6, 1 *ni illi* = *nulli, prestanii sed* = *pestanus et* (i. e. *Paestanus et;* de *sed* interpolato v. supra p. 59 n.); ib. 7, 1 *regente sinus* = *recentes in iis.*

*U* et *LI* non minus obnoxiae erant permutationi in unciali scribendi genere, id quod facile ex forma litterarum intellegitur. En exempla:

Liv. 21, 48, 4 *colusque* = *collisque;* 23, 26, 6 *palicos* = *paucos;* 24, 5, 2 *auum* = *alium;* ib. 20, 4 *calidinus* = *Caudinus;* ib. 26, 12 *vellit* = *velut;* ib. 42, 8 *alirei* = *aurei;* 25, 11, 17 *ilunc* = *illinc;* ib. 37, 14 *temerabilis* = *temerarius;* 26, 18, 6 *consiui* = *consilii;* 27, 31, 1 *annibalipacto* = *a(b) Naupacto* natum puto ex archetypi scriptura *a(b)-nalipacto;* 42, 51, 1 *utteris* = *litteris.*

Cf. Verg. georg. 1, 503 Rom. *caeu* = *caeli;* Aen. 7, 203 *halit* = *haut.*

Liv. 24, 27, 8 (dum de foedere antiquo renovando Romani agunt cum Syracusanis, quorum pars Poenorum, pars Romanorum rebus favebat) haec in Put. leguntur: *ut vero Appius naves ad ostium portus, quid aliae partis hominibus animus accederet, in statione habere coepit* cet. Vulgatur *quo* pro codicis lectione *quid,* sed residere mendum in adiectivo *aliae* nonnulli recte monuerunt. Nam quamquam forma genetivi, quae est *aliae* (pro *alius*) certis aliorum scriptorum exemplis non caret, Livius tamen constanti usu *alterius* dicit; et sic quoque nimis indefinite significarentur homines Romanis faventes. Itaque suaserunt *amicae* s. *Romanae* s. *Italicae,* nemo satis accedens ad codicis lectionem et dictionem Livianam praeter Weissenbornium, qui olim dubitanter *quo suae partis hominibus* cet.[1]) scribendum proposuit. Cf. 35, 39, 4 *ut praesidii aliquid esset suae partis hominibus;* 25, 23, 4 *suae partis temptare hominum animos iussit* (*perfugas*); 4, 9, 7 *inter suae partis homines;* 24, 36, 9 *ut praesens suas res foventibus adderet animos.* Ex *quosuae* primum factum esse *quoduae* puto (v. supra p. 104), deinde *u* et *li* confusis *quodliae,* ita ut ad extremum evaderet Puteanei lectio *quidaliae.*

*U* et *TI* in unciali scriptura valde similes ductus habuisse vel inde apparet, quod Liv. 22, 5, 4 in Mediceo *patientium* ex Puteanei scriptura *pauentium* ortum est; cf. etiam, quod 24, 4, 1 Gust. Becker ad Puteanei lectionem *mutauerat* annotat: 'u vor e scheint erst ti gewesen zu

1) In eandem emendationem postea Harant l. c. p. 105 incidit. *Suae* Novák quoque coniectando invenit, longius tamen in reliquis recessit a Puteaneo emendans *portus, ut aliquid suae partis hominibus animi accederet.*

sein; dann ist durch Rasur und Verbindung der Striche *u* gemacht'. Exempla eius confusionis haec repperi in Puteaneo: 23, 8, 6 *diu* = *diti*; 23, 14, 13 *sauculanus* = *Saticulanus*; ib. 15, 1 *mariumi* = *maritimi*; ib. 30, 1 *brutus* = *Bruttis* i. e. *Bruttiis*; ib. 42, 13 *atit* = *aut* h. e. *haut*, detracta solito more aspiratione[1]); ib. 24, 12 *antisutibus* = *antistitibus*; 24, 14, 7 *hosus* = *hostis*; ib. 22, 9 *spauum* = *spatium*; ib. 16, 13 *supendia* = *stipendia*; ib. 41, 6 *expedius* = *expeditis*; 25, 16, 6 *grauae* = *gratiae*; ib. 23, 11 *aesumando* = *aestimando*; 26, 12, 7 *constitebatur* = *consulebatur*; ib. 51, 9 *quassauerant* = *quassati erant*[2]); 27, 15, 5 *parum* = *partim*; ib. § 11 *blandiuis* = *blanditiis*; ib. 22, 1 *vive* = *vitio* (in arch. fuit *vivo*); 28, 6, 6 *perunaciter* = *pertinaciter*; ib. 7, 13 *uthronon* = *Tithronion*; ib. 29, 8 *infestitis* = *infestius*; 29, 2, 13 *resutui* = *restitui*; ib. 21, 4 *repositierint* = *reposuerunt*[3]) (in arch. fuisse puto *repostierunt*); ib. 22, 8 *fatiorem* = *fauorem*; ib. 38, 4 *quinulius* = *Quintilius*.

Cf. 42, 50, 7 *sic* | *tibi* = *sicubi*; Lucr. 4, 106 Obl.

---

1) *Aut* pro *haut* (*haud*) legitur in Put. 21, 49, 11. 22, 12, 3. 16, 2. 18, 10 cet., in Vind. 41, 1, 8. 42, 28, 4. 65, 5. 43, 22, 10 cet., frequenter etiam in aliis codd.

2) Lenissime sic Crévier correxit codicis Put. lectionem *his ita incohatis refectisque qua quassauerant muris*. Placuit emendatio Friedersdorffio, H. I. Muellero aliisque, immerito displicuit Luchsio, qui alterius familiae codices longe aberrantes secutus hanc lectionem durae atque artificiosae structurae edidit: *refectisque quae quassata erant muri*.

3) Potest etiam vitium ortum esse antiqua forma *reposiverunt*, quae est Alschefskii et Weissenbornii sententia. Tum autem non ipsi scriptori, sed librariis vindicanda erit ea scriptura, quae ut alia prisca interdum in codices irrepsit; cf. Tac. ann. 4, 32 Med. *compossivere* = *composuere* et Cic. Tusc. 5, 29, 83 codd. Gud. et Paris. *possiverunt* = *posuerunt*.

*ubi* = *tibi*, ib. 552 *letiore* = *levore;* Cic. Att. 2, 7, 3 Med. *a nepti loni* = *an epuloni;* fam. 15, 16, 2 *salutis* = *salvus;* Liv. 10, 5, 6 Med. *hosti sumeret* = *hostis timeret;* ib. 23, 13 Paris. *curtio* = *curvo;* 30, 40, 12 Bamb. *iurauit enim* = *iurati ita enim* (*ae* insuper depravatum est tralaticio mendo in confinio vocum; v. supra p. 16 sq.); 33, 15, 15 *supplicauit a se* = *suspicati ita se.*

Denique etiam *U* et *CI* in unciali scriptura confusas esse interdum hi docent loci:

Liv. 23, 42, 12 *suam* = *sciam;* 27, 1, 8 *aues* = *acies;* ib. 27, 5 *etrusus* = *Etruscis;* ib. 12, 13 *exutarentur* = *excitarentur;* 29, 17, 20 *uvis* = *civis;* 30, 9, 11 *quindeum* = *quindecim.*

Cf. 30, 25, 2 Bamb. *circumventu naue* = *circumventi in acie,* 38, 42, 11 *aulio* = *Acilio,* ib. 28, 8 *excitaverint* = *exuerint,* quod in archet. scriptum fuisse puto *excierint,* deinde *excitandi* verbum verbo *exciendi* substitutum (cf. 29, 15, 5 cod. *y* apud Luchsium *excitarent* pro *excirent*); Cic. Att. 14, 6, 1 *scisque* = *susque.*

*X* et *A* litterae permutatae: v. p. 96 sq.

———

# Index locorum, de quorum scriptura disputatur.

# Vita.

Carolus **Guilelmus Heraeus** natus sum Hammone, in oppido Guestfaliae, a. h. s. LXII die IV mensis Decembris patre Carolo, matre Adelheida e gente Proebsting, utroque adhuc vivo. Fidem profiteor evangelicam. A decimo aetatis anno gymnasium Hammonense frequentavi, ubi patris optimi doctrina in antiquarum litterarum studia inductus sum. Inde testimonio maturitatis instructus vere anni MDCCCLXXXI Marpurgum Chattorum me contuli, ubi per quater senos menses docuerunt me viri clarissimi Bergmann, Birt, Bormann†, Caesar, Iusti, Lucae, Leop. Schmidt, Varrentrapp. Seminarii philologici sodalis extraordinarius et ordinarius fui per senos menses. Vere anni MDCCCLXXXIII transgressum ex Marpurgensi universitate in Berolinensem docuerunt me per duo annos viri clarissimi E. Curtius, Dilthey, Huebner, A. Kirchhoff, Scherer, Io. Schmidt, Treitschke, Vahlen. Regii seminarii philologici sodalis ordinarius fui per ter sex menses. Ad exercitationes suas benignissime aditum mihi dederunt epigraphicas A. Kirchhoff, historicas Th. Mommsen. Quibus omnibus gratias ago quam maximas, imprimis Ioanni Vahleno, studiorum meorum fautori semper benevolentissimo, cuius consiliis etiam in hoc libello scribendo uti mihi licuit.

# Theses.

1. Liv. 30, 7, 6 lacunam in hanc fere formam explendam censeo: *ibi tr⟨ibus certatum sententiis, e qu⟩ibus una de pace legatos ad Scipionem decernebat, altera* cet.
2. Liv. 32, 16, 11 in verbis *oppidani primo haud impigre tuebantur moenia* negationem iniuria coniecturis temptari puto et potius ipsi scriptori, non librario errorem tribuendum condonandumque esse.
3. Tac. hist. 4, 56 iure Nipperdeium verba *extra commentum* ut glossema olim ad seq. *amendatum* ascriptum *extra commendatum* eiecisse statuo.
4. Caes. b. c. 2, 5, 3 in verbis misere corruptis *publicis custodiisque* latere suspicor *supplices cum votisque.*
5. Ascon. ad Cic. p. Corn. 21 frg. ed. Baiter *figulorum* pro *fictorum* scribendum conicio.
6. Placidi glossam p. 67, 6 ed. Deuerl. sic refinxerim: *militiae privus pro rudi fungitur* (codd. *multicie quibus; vidi, video, viduo; fingitur, fungitur*).
7. Mon. Anc. 2, 19 ed. Mommsen fuisse in lapide puto: ⟨.....*continente*⟩*r apud omnia pulvinaria pro vale*⟨*tudine mea sacra fecerunt*⟩.
8. Plat. Prot. 316 D *ἀπεχθὲς* pro *ἐπαχθὲς* legendum puto.
9. Thuc. 3, 111, 2 Classenii *μεμονωμένοι* sententiae optime satisfacit.
10. Codicis Puteanei Livii archetypum viginti fere litteras singulis in versibus videtur habuisse.
11. M. Gitlbaueri de compendiorum in vetustissimis codd. Latinis usu doctrina mihi non probatur.
12. *Obsolescere* non cum *alendi*, sed cum *solendi* verbo cohaerere opinor.